Freteri Andreae: Felix Sarmatiae prognosticon ex concursu in Regno Astrorum primae magnitudinis.

FELIX SARMATIÆ
PROGNOSTICON
Ex concursu in Regno Astrorum
Primæ Magnitudinis
ILLVSTRISSIMORVM nempe SPONSORVM
ILLVSTRISSIMI DOMINI
D. FELICIS
DE POTOK IN PODHAYCE,
POTOCKI,
Sokalien. Ropciceń: Krasnostauień:
CAPITANEI,
Illustr^{mi} Palatini Crac: & Regni Supremi
Exercituũ Ducis, Magnæ Spei Filij.
AC
ILLVSTRISSIMAE
CHRISTINÆ
COMITISSÆ IN WISNICZ ET IAROSLAW,
LVBOMIRSKA.
Illustr^{mi} Regni Supremi Marschalci &
Campiducis Lectissimæ Filiæ.
Circa Nuptialem Pompam
In ŁANCZVTH ARCE LVBOMIRSCIANA Celebratam
PRÆVISVM,
ET PER
ANDREAM TRETERVM *Acad: Cracouiensis Stud:*
Communi Patriæ Solatio
PRÆSENTATVM.
Anno Dñi, M.DC.LXI. Die 18. Septembris.

In Stemma Illustrissimorum SPONSORVM, Omen Lætantis Patriæ.



VIdit SRZENIAVIIS æterno Fœdere Lymphis
Iungi POTOCIAM patria mæsta CRUCEM.
Et longos hilari detergens pollice luctus,
Omina festiuo protulit ista sono:
Panditur en FLVVIUS, cui DIVINA *innatet ARGO*
Velleris Aurati Copia prona patet.
Nulla dehinc fugiet SIGNA hæc Victricia Colchis,
CRUX subiget cunctas FLVMINE Vecta plagas.

PANEGYRICVS
Fortunam Patriæ Prognosticans.

FVnde hilares ô Phœbe dies, comptasq; sereno
Lumine quadrigas, nostræ ad consortia flecte
Lætitiæ; Pronubis gratantia sidera tædis
Alludant, sociusq; sacris micet ignibus Æther;
Dum festus præfulget Hymen tædæq; Iugales
SRZENIAVIIS nictantur aquis; & pabula ab ipsis
POTOCIANVS Amor sumit maiora fluentis.
En roseas insueta genas vt flamma pererrat
Innocuusq; rubor Sponsali incanduit ore
Ignoti Testis fomitis, qui deinde perennes
Suauiter arsura in præcordia congeret ignes.
Nobilis his flammis ad Amoris concidet Aras
Victima, corq; vno duplex ardore cremabit.
At Nos dum primo rude Pectus Amoris ab ictu
Sponsi vtriusq; flagrat, plenis bona sæcula votis
Fundimus, & serus cinis, hæc sit Flamma precamur.

OPportunè admodum Fauentes Superi communi gementis Patriæ proludunt leuamini, dum desideratam hanc Animorum Vestrorum ô Inclyta Arctoi Orbis sidera Illustrissimi Sponsi producunt coniunctionem; Fortunatus hic tantorum Luminum in ipso ferè Regni Horoscopo, SRENIAVIANA nimirum Arce, congressus, Optimus est nostræ Significator interpresque fortunæ, & rectè abhinc depulsis nebulis sereniora auguramur Tempora, quibus lætas Hymæneus vester præfert Faces. Satis hactenus feralibus arsimus tædis, quas tristis Erynnis & insana Martis licentia per totam sparserat Sarmatiam; aliæ nobis ad tutiora prælucent flammæ, & pronubi Coniugij Vestri ignes, optatam naufraganti Patriæ monstrant Pharon. Non iam dubias spes ad dubiam explora-

ploratrices Martis præmittemus Sphæram, & ab illo igneo Circulo ancipitis decerpemus ſcintillas ſolatij: Securior Nobis ſub tam fauſto Splendorum Veſtrorum nexu, à Deâ Amoris, quam à Domino Mortis præmicat Felicitas. Non incertos militarium Aquilarum volatus, trepidi Augures anhelo ſequemur intuitu, aut in cæſorum hoſtium extis ventura inſpiciemus fata: certiora patent Auguria ex his, quibus corda Veſtra Primus Cupido circumuolitat Alis: certior Haruſpicina, ex Veſtris ô Nouæ Amoris Hoſtiæ, nouo igne calentibus viſceribus, quæ penitius inſpecta, non dubiam Patriæ portendunt ſalutem. Nec verò inter hæc noſtra, imò publica gaudia, funeſtum illud Eridos formidamus Pomum, quod paribus Pelei ac Thetydos interſertum ſolennijs clades demùm Græciæ, Troiæ excidia parturijt; Feliciora Pacis ac Triumphorum Miſſilia ſpondent, Adſtites Nuptiali Veſtro fæderi Gratiæ, quæ veluti ſecuturæ Feciales Pacis, ſecuritatem noſtram Sacro coadunati tam Inclyti Sanguinis paciſcuntur Libamine. Habemus vel ipſos Illuſtriſſimorum Parentum Veſtrorum vultus, ſpei noſtræ Obſides, cupitæ felicitatis Sequeſtros; quorum feſtiuæ lætitiæ, tota promiſcuo tripudio applaudit Sarmatia; & iure meritò, quis enim adeò deiectæ mentis fuerit, vt triſti ſupercilio frontem aſperet, tantis Heroibus ad ſecura gaudia profluentibus? quis ad inanes hoſtium inſultus fugitiuo ſanguine adpalleſcat, his Ducibus Illuſtriſſimi Sanguinis retinaculo vnitam Virtutem fundantibus? aut caliginem ab hoſtili puluere ſomniet ſub tanta Luce? Securus olim ad Cytharam & plectrum Achilles, impunè ferocis Hectoris ſpreuit primùm, mox poſitâ lyrâ contudit auſus, docuitque conſcium ſuæ molis animum, etiam inter Ludicra ac Cantus, fatales Hoſti meditari ſaltus. Veſtrorum hic Illuſtriſſimorum Parentum Genius eſt, qui in Geniales ſoluti curas, ipſis plauſibus Planctus Hoſti ordinant; & per feſta Epithalamia, lugubres infeſtis cateruis præcinunt inferias. Nobis equidem ac toti Regno concors hæc Ducalium animorum harmonia lætùm inſonat, at Fædifragis illis aciebus, triſtè immugit. Timeant meritò infruniti Aſini vel ad Nuptialem Lyram, ad cuius numeros lethalem breui ordientur Choream: nam vt Phæbus quo magis læto renidet ore, eo maiora fulmina, coactis in vnum durat vaporibus, ita Heroicæ mentes, dum ſeſe liberaliter publicæ hilaritati indulgent, tunc eâ ipsâ hilaritatis cote, natiuos impetus in publicos communis lætitiæ agyrtas magis acuunt. Et hæc ſunt æquiſſimæ fiduciæ noſtræ Pignora, Fortunæ Omina, quæ non inter abdita cælorum rimati, ſed in ipſo Vultuum Veſtrorum legimus aprico; Dextra nimirum Nobis omnia, datæ per

Vos ad

Vos ad Aras dextræ; Pacata, militantes nouo Cupidini etiam Martij Acinaces adpromittunt. Eant alij & publicam aut priuatam in Polorum vestibulo vestigent fortunam, vagosque rerum Cursus ac errores, vagis & errantibus imputent Astris; mihi semper alia ad communes satius valitura vsus placuit supputatio, vt nimirum propiores Animatorum siderum censerem concursus, quorum in minora hæc, eò maior potestas, quò magis è vicino emicuit, & subiectum Orbem non solisequis aut aliunde tractis sed congenitis splendoribus impulit. Talis sideratio plenis totius Regni excepta votis, dum Illustrissimas POTOCIORVM, ac COMITVM in Wisnicz & Iarosław Familias, veluti Primæ Magnitudinis Stellas feliciter sociat, quid mirum, si iucundissimis Amoris capti Phænomenis ad Diuinanda Patriæ bona secreto quodam calore agimur? & felices ab hoc tot splendorum commercio impressiones expectamus. Est quædam in vobis ô Illustres Animæ, cæli aut æmula, aut cognata virtus, quæ infima hæc, ad instar Superiorum Orbium, tacitis fæcundat attenuatue influxibus, Vestris enim fermè mundus agitur momentis, voluitur successibus, & quemadmodum sublunarium vigor, ab illo Planetarum rotatu, ita publica fortuna à vestro pendet motu; Adeoque rectiores ille Fastos, è quibus certo imperiorum legerentur euentus digesserit, qui terrestres has magnarum mentium Siderationes, Progressus, Reuolutiones, Incrementa, & Deliquia ad calculum reuocarit. Horizontem vniuersi, Diuinus ille, satis Diuinè nuncupauit Plato Hominem, seu quod vnus totos naturæ terminet aspectus, & sparsam per varias species, Essendi varietatem, in se ipso velut in plano cogat: seu quod totius vniuersi vim per sua commoda aut detrimenta fulgurantem persentiscat. Sed enim tanto licet Horizon iste concurrentis in se vniuersi laboret sub ictu, nulla tamen magis quam Vestra vi percellitur, nullos influxus tam vigili oculo, tam facili & prono excipit. gremio ac Vestros: immineat toruum Saturnus, tonet Iupiter, stridat Mauors, oculisque tuentibus hirquum ambidexter rotet Mercurius, & tota minacis Signiferi volumina, ingentes mundo trudant casus; adhuc illud coniurati ætheris robur, sub Vestræ circumactu pendet Sphæræ, & (si benigno terras dignamini aspectu) tota malignorum siderum in perniciem contorta Orbita, ad Vestrum nutū, velut Primi mobilis raptum flecti in contrarium potest. Quid enim informes illæ belluarum formæ, per sola figmenta cælis insertæ, quas omni sanior sapientia fatali exarmauit necessitate, vana sine viribus tumeant irâ, dum terrarum vices vobis non ficto cessæ iure meliora respiciunt gubernacula. Vos sanè Viri Principes succedanei estis

Supremo illi, qui ſtabilis manens dat cuncta moueri, inferioris mundi Motores; Veſtræ Propagines, ſunt quidam, Diuinæ illi Spheræ, cuius circumferentia nuſquam, contigui Orbes, agendis regnorum fatis deſignati. In Vobis Dignior illa Aetheris hæſit portio, quæ primitus hominem animauit, & (ſi non tota in fabulis fabula eſt, aliquamque figmenta illa velant veritatem) famoſus Promethei ignis, qui iam per viliores animas elanguit, in Veſtris adhuc calet genijs: hinc primæ concolores Origini, altùm ſemper veſtri ſpirant ſpiritus, ac horum, quibus flammas ſuas debent, ſiderum more, non licet illis ſubſiſtere, nec quidquam ſuum facere, ſed irrequieta (vt ait Sapiens) curſus ſuos explicant. Inſanus & merito Coſdrois labor, cælos intra vnius Palatij adita prodigioſo auſu mentientis, & noua in terris ſigna, nouas zonas, ad polorum inuidiam Aulico Zodiaco illigantis, vt ſaltem ficto gauderet æthere, veri inexpertus ac inops. pulchriorem ſui imaginem in Heroum Familijs, miratur ſuperior, reueretur inferior Orbis; vbi circa geminos Pietatis ac Sapientiæ Polos, integra ludunt virtutum agmina, & tota Gentilitij Decoris compages inſignibus Æquanimitatis ac moderationis, hinc ne dehiſcat, inde ne Icario auſu euolet, libratur Tropicis; Non hic, vt in Coſdrois decrepitiue Archimedis cælis artifex fucus, adſcititios ſplendores illinit aut mergit; non trochlearum farrago, immò ſæpè vnius fabræ rotulæ conuerſio, totam adaptati æui ſeriem, protrahit aut elidit; ſed virtus & Fortuna, incorrupti Opifices, Nobiles has Sphæras perenni gloriæ & Honorum voluunt tractu. Ad tam ordinatos propioris cæli motus, ô quanti auidiſſimo obtutu hiant ſpectatores! quantorum ſtudia ſpem, immò ſalutem ſuam, illis defigunt aut horoſcopant Epicyclis! Circumferunt plerique oculos, & feliciore auſu per publicas Illuſtrium Familiarum tabulas, quam per vulgatas Aſtrorum Ephemeridas, publicam veſtigant fortunam. & noui Euclides ex inſignium Proſapiarum lineis, noua ſed communibus votis accommoda firmant Elementa, delibant ſolatia. Auſus ſum & ego Terrenam hanc profiteri Aſtronomiam, & feſſæ tot luctibus Patriæ, in ominatiſſimis POTOCIORVM & COMITVM in Wiſnicz & Iaroſlaw Domibus, meliorem deſignare fortunam, fauſtasque ex hac inſigni Animorum coniunctione condere figuras. Peritiores equidem Matheſis iſta poſcebat Proclos aut Ptolomæos, ſed quis etiam rudem damnet communis felicitatis veſtigia relegentem, niſi qui communiter vetet eſſe felices? par eſt, vt omnium inſonet vocibus, quod omnium vſurpatur ſenſibus.

Primam

Primam Noſtram Felicitatẽ fœcundiſſimum omnigenæ felicitatis ſignum initiat, dum Tua Illuſtriſſime SPONSE Gentilitia CRVX fluctuanti Patriæ inconcuſſam baſim ponit. Eliſus totâ iniquitatis mole mundus, vel in vnâ Cruce ſatis certo libramine conſtitit, ne ad primæuum raperetur nihilum; at ecce geminat ſubſidium POTOCIANA DOMVS, cum ternæ obiectu Crucis, ruinam & clades Regni auertere ſatagit. Ancipitem hactenus experti fortunam, ſatis illam prouido ô Sarmatæ, frenaſtis obice, dum ne lubricâ deinceps nutet rotâ, aut in Martialem excurrens campum, inimica moliatur transfugia, ad Fortunatum POTOCIANÆ CRVCIS deligaſtis Quadrum. In hoc Plano etiam inconſtantiſſima ſortis minimè exerrabit orbita; in quo totus poſtquam ſuum, immò omnis boni reperit centrum, non exerrauit Orbis. Vaga licet & ſtandi rudis ſit, hæc Inconſtantiæ Dea, illo tamen libenter figitur & hæret loco, quo fixus ipſe hæſit DEVS; deſtituet illam ſub ſtabili Crucis ſigno ſua leuitas, ſub quo etiam DIVINVS IGNIS grauitauit. Præſumptuoſa nimium Antonij Pij quartum iam Conſulis vanitas, Fortunam obſequentem cuſo nummo falsè comminiſcentis, Vertumnam enim hanc illo ipſo tereti verti & excuti poſſe auro docuit, qui illius obſequia in volubilem nummum refinxit: raro illa fidelem pecuniæ locat operam, & licet interdum ſeruitia hac turpiſſima licitatione paciſcatur, eodem tamen plerumque auro, quo empta putatur eliditur. Felicior Chriſtiadum auſus, qui Fortunam obſequentem non auro, aut vili ære ſignant, ſed ad illam Stateram, in qua Orbis appenſum eſt pretium exigunt. In Iouis hortis beatam felicitatem naſci Sophocles & credidit & promulgauit. Nobis vna arbor, ſed ipſi adamata Numini omnis felicitatis ferax eſt. Eam vt tandem prægustaret tot aduerſorum ſatur Patria, dexterrimo omine ad POTOCIANAM CRVCEM reſpexit, cum geminos nouiſſimè aciebus ſuis præficiendo POTOCIOS, optatam ſalutem, à ſalutis ſigno, per illorum Arma, effulgente decerpturam ſe credidit. Nec verò quadripartito cincta hoſte, certiùs opis ſuæ auſpicium, quàm à quadrifida ſumere potuit Cruce; quâcunque Sol oritur vel moritur, Auſter vel Aquilo ſpirat, abundè in omnes partes ſecuritati ſuæ proſpectum putauit, cum POTOCIANA ARMA, ipſo habitu, hos omnes Orbis Triones amplexa, in Imperatoriâ ſpeculâ excubare iuſſit. Tantùm olim in vno frondentis auri Ramo ſpei pius repoſuit Æneas, vt negata viuis clauſtra, ſolisque vmbris peruios aditus, auricomæ frondis cinctus munimine penetrarit; bellè ſatis ad auari Ditis genium, quem quia aureo fulgore deliniri credidit, à frondente metallo difficili viæ tutamen quæſiuit. Nobis Sacratiore

 cenſis

Censis cultu, quibus non fauores Plutonis emere, sed furores ipsos premere æterna lex est, certior à diuersâ Arbore tutela, nec bracteata felicitas est: Illâ inquam Arbore, quam non diuitis Metalli vena splendido lenocinio percurrit, verum Dei virtus, pio intinctam cruore, pretiosissimo suiipsius pondere fœcundauit. Fortunatum hoc Germen, toto Proserpinæ luco, & mendacibus Alcinoi Hesperidumque hortis, longè nobiliùs, cum è Gentilitio POTOCIANÆ Stirpis pomerio, non iam ignauis columbis præducibus, sed Regali designante Aquilâ prolatum, summæque rerum ac Bellorum hodie in Illustrissimo STANISLAO POTOCKI, PARENTE Tuo, admotum cernimus, ecquid irritas furentis Erebi minas, sub tam felicibus Armis metuamus? Frendat licèt Triceps Cerberus, ternoque imminens rictu, hinc agrestem rebellium colluuiem, inde Moschouitica periurorum agmina, ac nouissime domestico vndantes turbine, miseræ Patriæ infundat cateruas: Omnia hæc hiantis molossi ora, feliciùs tempestiuus POTOCIANÆ CRVCIS domabit, aut in placidum resoluet soporem occursus, quàm olim indultus Herculi, Cerberum domuit ac consopiuit Mercurij Caduceus. Ex quo sequaces Christi crucem ad militaris gloriæ consortia admisimus, minus profectò, aduerso in Nos Marti licere, Fortunamque & victoriam pro Nobis sæpiùs, immò veriùs pro Crucis signis stare videmus; tangit videlicet quidam inconstantiæ suæ, vel licentissimam Fortunam rubor, à purpureâ Diuino Sanguine coloratæ Crucis repercussione prolectus; adeòq; iam & ipsa sub Crucis Labaro in gradu hærere didicit, & quæ alibi frequenter mutat stipendia, velitumque vagatur more, huic annumerata signo, statarium militiæ genus profiteri auet. Inclinasset ad validiores Maxentij turmas à Constantino profuga, ventosissima hæc Dea, nisi obiectæ Crucis tardata imagine, victoriam ab hoc signo, in quo DEVS vicit ablatam, transferre ad contraria pila erubuisset. Experta sæpiùs parem obsecundantis Fortunæ reuerentiam Sarmatia, cum POTOCIIS Ducibus Natiuæ Crucis signa feliciter explicantibus, etiam inordinatissimam hanc Diuam Ordines illorum seruare, fideliterque sub Cruce merere vidit. Certè quocunque vsquam POTOCII sua circumtulêre Arma, sicut nunquam illos Fortitudo & virtus, ita raró Felicitas destituit; Diceres à Triumphali illorum Insigni, Triumphalem in omnes dimanasse fæcunditatem, quæ POTOCIORVM Arma in Amphiarai verteret, recoqueretue Tela, vt in hostes emissa raró aliter redirent, quàm Laureata. Non iam suos Attico Timotheo inuidemus casses, quos vel per somnum diuite Arcium, Vrbium, Regnorumque prædâ, sanè somnians, aut cæcâ

nocte

nocte mersa, onerare sueuerat Fortuna. Nos Sarmatæ in POTOCIORVM Armis vno, sed certiore piscamur hamo, illo nimirum, quo Potentissimus captus est Leuiathan. Nemo dehinc miretur POTOCIANA obstetricante virtute, tot inclytas quotidie Patriæ nasci victorias, victricia illis ab ipso Ortu Arma sunt. Nemo stupeat fortissimos Duces, incorruptâ tot sæculis, è DOMO POTOCIA, prodire successione: Maximus Archistrategus, non iam per baltheum militarem, sed per Armorum suorum traditionem, bellis Illos & Triumphis auctorauit. Adoptatos in militaris gloriæ communionem, vt totus sciret Orbis, illa victoriosissimi Ducis POTOCIIS inserta Tesseris, testatur Claua, à quâ totæ Tartarei hostis concidêre vires. Achillis Clypeus tot quondam Procerum contentionibus exambitus, Supremi in Græcas acies Imperij Prodromus simul & portitor fuit, Summum enim Maiestatis Ius ad Possessorem transtulit: CRVX posthuma quædam triumphantis Christi Parma est, hanc quia in nobilissimo POTOCIANÆ Stirpis Armario deposuit, sicut ad maxima quæque virtutem illorum, tam caro pignore obligauit, ita eadem Tesserâ, vbi par bellis ac triumphis desideat vigor, patentissimè designauit. Sequitur hodieque Sarmaticus Orbis iudicium Numinis POTOCIOS Armorum suorum concessione, meliùs quàm olim Alexander Perdiccam tradito annulo adCastrorum regimen euocantis; nec alibi suis aciebus feliciore euentu Duces, quam sub hoc Supremi Ducis quærit signo. Et verô Diuini Herculis clauam nulli rectiùs hæreditare debuerant quàm Præliares Thesei; molles dexteras, & potiores penso quam Capulo manus, tam grauia vel ipsis inferis dedignātur Arma. Veterana vexillum hoc poscebat brachia, nam Summo Regni sui Labaro delicatos Incarnatus DEVS baiulos non apponit. In ea itaque Domo, quæ Sago æquè ac Toga exercita, sicut bellis pacem mercatur, ita pace ad bella innutritur, Nobile hoc signum Numen deposuit; quod sibi & maximi belli administrum, & æternæ cum mundo pacis hucusque est sequestrum. Eant alij & prodigiosis Deorum commentis suas impleant Origines, sit à Ioue Tertius Aiax, Phæbo Phaeton, Neptuno Neoptelemus, Thetydi Achilles, Veneri Æneas, vanos imputent Ortus, æquè turpiter mendacijs, seu malint criminibus quæsitos: quanto Sanguine POTOCII censeantur, illud eorum Originarium loquitur Signum, quod Diuinus aliquando Sanguis consecrauit. Sub hoc Genethliaco Domesticoque Familiæ suæ Astro exorti, quemadmodum primos ac generosos hauriunt spiritus, ita ab eodem felices ad summa quæque perficienda delibant influxus. Censeat quidquid allubescit vulgata Mathesis de for-

tunato nascentibus Horoscopantis sideris Trigono, POTOCIIS sub Increati Solis signo exortis Fortunatissimus Natiuus illorum Quadratus est. Hic Tropicus, in quo quondam suas Sol Iustitiæ absoluit Retrogradationes, dum vitalia POTOCIORVM lustrat primordia, certiùs illis imperium, quàm vanus Augusto portendit Tropicus Capricorni: suo prælucente signo, Victoriam per Multas, Gloriam per omnes gentes ac regna protulerunt; Gentilitioque illi conformes Heptangulo, famâ Nominis vniuersitatem complexi sunt. Profectò dum Insignia Vestra in triplum assurgente Cruce insignita contueor, quandam Gloriæ Vestræ dimensionem spectare me reor; vt enim patētem quâ virtus & Fortuna Vestra excurreret haberetis campum, nouo sed Diuino, quem hæreditarijs præfertis tesseris Astrolabio, totum Vobis mundum designastis; segmina illa Crucis omnibus imminentia Trionibus, tempestiuos iam inde Gloriæ Vestræ, descripsêre ac metata sunt limites. Et benè; non hæsit intra vnius Patriæ ambitum, nedum intra angustos defossa Lares Fortitudo Vestra; eosdem suos putauit, qui vniuersi essent, terminos; Potocianæque illud deberi credidit industriæ, vt Gentilitia per Orbem Arma circumferens, Crucis suæ Gloriâ, arduam illam, sed verè inclytam mundani circuli perficeret Quadraturam. Non vacat ad altiora sæcula fatiscentem sub Potocianarvm laudum pondere tendere calamum; quæ enim penna in tantùm attolli queat dicendo, quantùm Potociana virtus attigit vincendo? Proniora sequar, & quæ præsens aspexit suspexitque sæculum, Magnanimitatis POTOCIÆ Decora, vero magis quàm compto promam eloquio; nam & POTOCIIS virilis, non calamistrata virtus est. Inferte oculos Moldauicis Dacicisq; campis, illic quoque per mortuales cespites, queis exesa cæsorum hostium premuntur ossa. Pociana Laus & Fama pullulat. Illo cruore, quem de meritis rebellium iugulis Vester eduxit gladius, madens hucusque Moldauica gleba, non alios, credo, producit flores, præter eos, qui POTOCIANVM, æquè ac olim de Aiacis natus Sanguine, ferat ac describat Nomen. Viuit in illis regionibus Magnus & suam adæquans famam IOANNES POTOCKI Constantino ad fastigia Moldauica, & Simeoni ad Valachica, eluctanti, ingentis fortunæ à Republica Prodromus datus & Ductor; qui geminos tam speciosi Apicis riuales, Rosuanum & Michaëlem, illum vitâ, hunc Castris & potentiâ, vtrumque male quæsito exuit ac exegit Principatu; & clientibus Poloniæ, ad concupitum Ducalis eminentiæ culmen, pronam ac facilem, instratis hostium cadaueribus fecit viam. Aderat tanto Patruo indiuisus spei periculique Comes Illustrissi-

strissi-

ſtriſſimus Parens Tuus, prima vincendi rudimenta, ſub tam victorioſo Duce auſpicatus, iamque tùm Magnus hic Achilles Sarmaticus, ſub melioris tutelâ Chironis, non ad ceruorum medullas, ſed ad hoſtile tabum exercitus, futuræ triumphorum Iliadi præludebat. O quantus ibat, ſuo ſe ipſe ſignans decore & virtute! cum niueum iuuentæ florem, primo inimici ſanguinis oſtro inficeret, & fugacibus Dacorum imminens cateruis, terrorem ac victoriam, omni latè Moldauiâ, Valachiaque proueheret. Loquuntur hucuſque inuictum eius Patruiq; robur, ſi non homines aduerſus felices ſemper obliqui, at ipſi fatales aggeres, per cæſorum hoſtium aggeſtus, & POTOCIANOS triumphos aſſurgētes. Quoties leuis aura tumulis illis aſſibilat, toties rapti vento hoſtiles cineres, totis campis Victores POTOCIOS inſonant; quoties vdo rore, arida oſſa Æther infundit, Caſus Dacicos flebilis Vnda plorare, Auſus verò POTOCIANOS delineare videtur. Ita hodieque vel de cadaueribus Viua Vobis Inclyti POTOCII creſcit Fama; & quæ cæſis hoſtibus fatorum, Vobis factorū ac Victoriarum monumenta ſunt. Iniurius hic meritò in POTOCIANAM videri poſſem gloriā, ſi bellicoſiſſimi IOANNIS Nomē feſtinatò præteruolās, quò eandem bellicæ Domus gloriam prouexerit, ſegni ſilentio ſupprimerem. Hactenus campeſtres & dici voluimus, & habiti ſumus Poloni. IOANNES POTOCIVS etiam maria tentari benè Sarmatis, Lechicoſque campos meliùs Ponto inferri poſſe, quàm olim Xerxes terris pontum infuderit, pulchrè docuit; dum ſolius gloriæ captus ſtipendio, auidiſſimus hic Famæ Inſtitor, maria intrauit, & ad Naupactum cum immani Turcarum exercitu nauali prælio conflixit. Conſtare tunc potuit mundo fluitantia toto pelago POTOCIANA Arma intuenti, quam fortunata ſit Crucis Carina, iam diu Noeticæ ratis vmbris præſignata, quæ non Cæſarem aut Cæſaris fortunam, ſed POTOCIVM eiuſque famam, inter geminos Maris & Martis tutò veheret fluctus. Sed flectamus aliò vela, & lambendo rurſus littora, erecta in hoſtilibus campis POTOCIANÆ Virtutis trophæa, debito impleamus plauſu. Primum ante POTOCIAM CRVCEM gemere tremereque cerno, magnum illum Aquilonis Draconem Moſchum, qui rabidâ in perniciem Noſtram actus orexi, ſinuoſis toties Sarmatiam ambiuit ſpiris, ſed caſſo tentamine; Rigido enim huic aurei noſtri velleris Obſeruatori, fatales ſemper à POTOCIA CRVCE venêre Argonautæ: peruigiles licet ſagacis fallaciæ tendat oculos, & in millena calidiſſimus ſerpens ſe torqueat volumina, POTOCIA CRVX Letheus illi Lituus eſt, qui vigilias æquè ac verſutias æterno nouit mergere ſopore. Agnouit in eadem Cruce innutrita periurijs bellua vindicem clauam, hæc

enim vti Primipila Fidei, læsam fidem per suos POTOCIOS, meritò fœdifragi Sanguinis toties placauit libamine. Igneas aliquando Imperante Iuliano CRVCES, tota Solyma coruscantes, & ipsis hostium suorum vestibus superspersas accepimus; inest & suus POTOCIANÆ CRVCI ignis, qui sicut tenacibus fœderum, serenum ac lucem, ita perfidæ Moschouiæ fatum & sepulchralem facem præfert: ac ne efferæ huic Hydræ noua capita, in noua succrescant periuria, ferro illam & flammis domat. An non his flammis regnante SIGISMVNDO III. corruit ille perfidiâ semper quæsitus, perfidiâ partus Smolensciana Arcis vertex, dum NICOLAVS POTOCKI, Equestris alæ Præfectus, Virtute quam ætate maturior, immisso in cuniculos sub Vrbem actos ignili, parentalem Moschouiticæ perfidiæ struxit rogum; & nouus Scæuola traiectâ licet non tamen errante manu, inter alatos igne suo globos, hostem Patriæ confecit. Certè vt constaret CRVCEM fidei totius basim, pænas à Moscho, turpis à fide publicâ transfugij exigere, non ad alias, quam POTOCIANÆ CRVCIS aras, illæ tum perfidiæ victimæ conciderunt: nam IACOBVS POTOCKI, Palatinus Braclauiensis, per ruentis Vrbis excidia ad gloriam eluctatus, primus violatæ pacis vindictam rebellibus muris intulit, & tumentem suis turribus superbiam, in puluere ac ruinis calcans, Victricem POTOCIAM CRVCEM pro mœnibus ostentauit. Sed quorsum antiquos cineres suscito, & de Smolensciana fauilla illustrandæ POTOCIORVM Familiæ scintillas eruo, cum adhuc præ oculis nictentur flammæ, quas Illustrissimus Parens Tuus, superbæ barbariæ, vt in suis detumesceret rogis, excitauit. Non vocabo Ad calculum æquissimo castigatas igne hostium Vrbes ac munitiones, quæ in suo tumulatæ cinere, sero ast opportuno perfidiam coercent busto; non insperſos totis regionibus ignes, qui Tyrannum, quanta à POTOCIA manu, maneat pyra, præuijs hisce scintillis admonerent; ad illam toto orationis æstu rapior victoriam, quâ potissimæ Moschouitici Imperij vires, cum ferocissimo Duce SZEREMETO, ad pedes Illustrissimi Parentis Tui submissæ, casibus suis POTOCIANAM CRVCEM adorarūt. Mirabili verò tum æterni NVMINIS factum est consilio, vt vterque Ducum (Vestri nimirum Inclyti Sponsi Parentes) in societatem tanti coirent triumphi; Ita nimirum decebat, vt qui ad augmentum communis gloriæ, Prosapias suas felici Sanguinis nexu vincire debuerant, in hostili priùs sanguine communem gloriam stabilirent; nec solùm amores secum ac Sponsales myrtos, sed Victorias etiam ac triumphales Lauros partirentur. Verùm & illud in fatis fuisse credo, vt leuissimi hostis periuria non sine SRZENIAVIIS expiarentur

piarentur Vndis, & qui Vindicem læsæ fidei Styga non perhorrescerent, ab Vltore SRZENIAVA Cruentam perfidiæ lustrationem reciperent: ita omnia moderante NVMINE, vt impius hostis, hinc POTOCIA CRVCE territus, inde LVBOMIRSCIANO FLVMINE interceptus, Vadum exitus fugiendo non haberet. Nescio sicubi vel magis sociâ Ducum æmulatione, vel maiori militum contentione debellatum sit, tot enim illic volitantibus pilis, licet penè sulphureo superfusus nimbo Polonus exercitus, non iam cum Leonide sub emissorum vmbrâ telorum, sed sub flammeâ nube pugnaret, nec miles tamen gradum, nec Dux officium deseruit; Atque hac tantâ & Ducum animositate, & cohortium alacritate effectum est, vt tametsi hostis copiarum numero, armorum genere, & ipso situ loci paludibus intercepti longè antistaret, Nostris tamen Virtute & Causæ bonitate Superioribus, non modò palmam, sed parmam etiam ac vniuersa arma porrigeret. Profuit à benignissimis Victoribus vinci; qui sufficientem victoriæ questum laudem rati, redactos ad extremas angustias, cum vel lentâ morte extabescere, vel violentâ delere possent, seruare tamen incolumes gloriæ, quam cæsos immolare vindictæ maluerunt. Ite nunc barbari, & vitalia POTOCIIS Arma signaue, ac salutares SRZENIAVÆ inesse aquas, experimento docti promulgate; quandoquidem supremo iam conflictantes agone, cum de salute Vestra, Vobis ipsis iudicibus cōclamatum esset, Vtriusq; horum munere, Vitam recepistis & Animam. Vt tamen post tot clades minimè adhuc seruandi fœderis docilis hostis, nimis assuetam, aliquando saltem, exueret perfidiam, Castris, Signis, Copijs, totique apparatu bellico exuto, æternum memoriale dederunt; quàm non hostem cædere, sed hosti cedere soleant Arma, quæ contra aperta pactorum sumuntur. Partum sicut Causa inuoluerat, ita ruina imminebat rebellibus Cosacorum turmis, quæ integram Moschi secutæ fortunam, eâ in sanguine fluitante, Vltimum operiebantur naufragium; Verùm his dexteriore fato & CRVX POTOCIA salutarem tabulam, & LVBOMIRSCIANVS SRZENIAVA enatandi copiam fecit. Quam benè ab vtroque latere incolumitati Vestræ prospexistis perduelles, qui & LVBOMIRSCIANA potentiâ territi, contra illud Flumen niti desijstis, & Mortis rei, Vitæ signum in POTOCIANIS Armis effulgens, de supplice genu venerati estis; Cæterum sicut parcere subiectis ita debellare superbos, ac per Casus submittere CRVX POTOCIA nouit; idque satis iam turbæ illi vsu cognitum, quoties enim seu genio loci contumax, seu affluentiæ suæ sensu luxurians, in rebellionem degenerauit, nunquam certiùs, quam Virtute POTOCIA, vel sub iugum missa, vel ad agreste iugum

 retracta

retracta est. Diutiùs Naleuaikum timuisset Polonia, nisi cantatissimus ille IOANNES POTOCKI eius excidia illatis propere signis maturâsset. Paulukum & cæteram audacium colluuiem tot iam successibus ferocientem, ac proxima quæque contagione correpturam, quis, nisi Illustrissimus PARENS Tuus, felici Armorum obiectu compescuit? dum ternis exercitibus ad Niedźwiedźiełoży, Borouiciam, & Starzec deletis, Contumaces aduersùs dominantes perdomuit, & quò planiùs subiectionem combiberent, Chirographa mancipatus in eorum iugulis incidit. Nunc quoque cum nouissima erupisset flamma, licèt interdùm sceleri velificaretur fortuna, fatale tamen sibi POTOCIORVM Nomen, fex illa semper exhorruit; cum quibus tametsi aliquando dextro marte, semper tamen sinistro omine depugnauit; Emptam enim ad modicum mercede perfidiæ Victoriam, breui POTOCIA Virtus excussit, & in fatum eorundem egit. Ac tâdem Legionibus Polonicis faustissimum Illustrissimi PARENTIS Tui regimen subeuntibus, tota illa turba POTOCIANÆ fortitudini aut pertinax iugulum, aut Victas manus dedit. Ferunt è sagittis Herculis, tota olim Græci exercitus ad Troiam fata, totum decennalis belli pependisse exitum, nec enim priùs nutans inter partes fortuna Achiuas acies respexit, quam felices sagittæ baiulo Philoctete castris illatæ, felicitatem his, Ilio exitium attulerunt: Impleuit recenter veteris fabulæ fidem CRVX POTOCIA, Diuinioris illa Herculis telum est, quod cum nouus Philoctetes Illustrissimus PARENS Tuus Polonis infert Castris, en tandem illa rebellis Troia, suo itidem nixa Decennio, ad Armorum POTOCIANORVM fulgorem, vel ruinis elisa, vel sponte decrescens concidit; Et POTOCIANÆ gloriæ partim cruore, partim prece supplici litauit. Ingens hic mihi patet campus, quo POTOCIANA relegens vestigia, plenos circumducere possem stupores, sed quia inter postrema illi Decora numerant, agrestes cateruas ab armis ad aratra transtulisse, grandiore Circo Victricia eorum inferam signa; & nouis Alexandris Reges quæram antagonistas. Procurrit ante oculos ferarum Rex Leo, & natiua sterilis glebæ suæ fame, & speciosæ prædæ spe ferox; qui cum in Gustauo Adolpho tota Prussia erraret, Terroribus Sarmatiam, Spolijs Sueciam implêsset, nisi POTOCIANÆ CRVCIS abactus venabulo, cladem quam inferre auebat, in suorum ceruicibus retulisset: summâ enim Illustrissimi PARENTIS Tui Virtute, Vicarias tum absentis KONIECPOLSCII Ducis curas, in exercitu Polono sustentante, cum vbique vires Sueticæ attritæ ruerent, POTOCIVSq; Omni prælio Victor immineret, Spe ac milite accisus hostis, vt Velamen aliquod honestæ fugæ haberet, campo quo consistere retro-

agen-

agentibus POTOCIIS nequiuit, cedere se pactis interuenientibus iactauit. Placuit tamen iterum fortunam experiri, & rediuiuas in Carolo Gustapho iubas, verum mutatâ iam pelle attollere; cum enim Sarmatis semper aduersùs ferocia nitentibus, Leonina pellis non procederet, ex Lysandri mente vulpinâ vtendum fuit; vt liberiùs sub ignoti tegminis obtentu, assuetus rapto genius grassaretur. Quæruntur igitur honesti firmandæ in Lechiâ potentiæ prætextus; speciosis Protectionis titulis, hostilitas velatur; & vis in nostra viscera contorta pro nobis stare fingitur; atque hæc omnia tam comptis affectibus, tantâ in Polonos pronitate, etiam Sacramenti Religione vallatâ aguntur, vt ignara doli Gens calidissimo Sinoni innocenter Credula, vltrò fatalem Equum intra sua Pergama receperit. Non latuit tamen simulatio Illustrissimum PARENTEM Tuum, primus hic Laomedō contra grauidum tot armatis munus, bellatricem hastam strinxit; & reuocatis legionibus, quarum simplicitati ars Suetica turpi fascino illuserat, fictam Protectionem veris cladibus rependit. Circumscriberet hîc etiam Hercules gloriam suam, ac positis iterum in Littore Balthici Maris columnis, NON PLVS VLTRA suum triumphali personaret in otio; sed POTOCIANÆ virtuti, Gentilitiâ CRVCE, Gloriam suam toti Orbi commensuranti, eadem victoriarum, quæ mundi meta est. Transferte ad Orientem visus, illic quoque POTOCIANI Nominis Orientem Solem adorari cernetis: splendeat licèt toto Ortu Othomanica Luna, per minorum deliquia siderum, lucem suam intendere solita, CRVX tamen POTOCIA splendoribus illius fatalis Ecleptica est: nunquam enim cum hac absque insigni congressa est deliquio. Carminibus sisti, cæloue deici Lunam, aut in tristem migrare pallorem, ferax figmentorum credidit Antiquitas; sed non adeò rudis, ac detrimentis obuia est Othomanica Phœbe, vt feralibus verbis aut herbis cedat: aliud illi Martiale carmen terrori est, quod cum toties ad suæ CRVCIS numeros POTOCII præcinunt, multum Turcicæ Lunæ detraxerunt fulgoris. Lugubrem hunc Cantum Illustrissimus PARENS Tuus Tumido illi Orsus est Abassio, cum Duci KONIECPOLSCIO iunctus, nonaginta millibus succinctum barbarum, & nostris castris incumbentem, sic ad numeros saltare docuit, vt numerum Cadauer superaret: præcinere enim iusâ conuiuali symphoniâ, quæ mollium Sybaritarum fatis præluderet, talem ad illam festiui modulaminis cantilenam coëgit Turcas ducere choream, quali ad tumulum numeroso tripudio subsilirent. Nimis prolixus essem si totas Othomanidum clades vel vno Illustrissimo PARENTE Tuo Duce, datas, ad calculum reuocarem. Desinat verbosa eloquentia in percen-

ſendis Skinderbaſſæ copijs hærere, quas ille nouo ſed glorioſo luſtro, per data neci capita, enſe cenſuit: deſinat ſtylus & calamus fugaces Turcarum Emiſſarios Scythas perſequi,quos is idem velociore quâ vis pennâ aſſecutus impetu, felici Victoris gladij ſtylo confecit; & ad Budam cum Zołkrevio, ad Barium cum Koniecpolscio pænè internecioni dedit. ad Patriam tandem tanto Orbis circuitu feſſus redeat ſermo, cui etiam ſoli Pottociana militat fortitudo; & hic tota conquieſcat Oratio, vbi vel ipſa Regum Maieſtas ſecuram libat quietem. Profectò ſingularis Potocianæ Domus hæc gloria eſſe videtur, quam aliquando Sarmatis omnibus communem, fecerat CASIMIRI gloriatio, quod Regum ceruices illorum ſinibus tutiſſimæ incumbant, ac in fideliſſimis pectoribus placidiſſimo ſomno reſpirent. Hoc noſtra vidit ætas: tunc enim cum diſtractis à SIGISMVNDO III. animis partium ſtudia in diuerſa raperentur, ſecura Maieſtas Potocianæ Crvci incubuit; & tota Potociorvm Domvs, ne quâ parte Regale culmē dehiſceret,opportuno armorum ſuſtentaculo prouidit. Vidiſſes illic ANDREAM POTOCKI ad Guzow inter hoſtiles illatum Phalanges, vix inuento per vulnera ad ſuos receptu, Regali purpuræ pulcherrimo ſanguinis additameto litantem. Vidiſſes NICOLAVM POTOCKI Reginalem Maieſtatem, & vnâ Regni Sedem Cracouiam, ex publico fidei commiſſo Gentiliæ Crvcis vmbrâ tegentem. Vidiſſes Illuſtriſſimum Parentem Tuum pulchro cognati Sanguinis cinctum agmine, Regale latus, ne quâ Fata viam inuenirent, ambientem. Adeò CRVX, quam Coronis ſuis in Regalis tutelam inſeruêre Capitis, in Domo vel maximè Potocia Regibus Tutelaris eſt. Ecquis iam miretur Alexandris noſtris Epheſtiones hos in delicijs eſſe? quos integer periculis ac interritus animus, Regum Amoribus dedicauit? Ecquis ſtupeat Regalem Aquilam præclara honorum miſſilia Potocianæ Crvci inſpergere, cuius ſalutari vmbra Diadema ſuum texit? Xerxem olim illum prodigioſis auſibus an cladibus nobiliorem Regem accepimus, ad ornandam Platanum totius exercitus ſtudia contuliſſe; ac monilibus, Tabellis, Votiuiſque cinctam Cymmelijs, Æternùm neſcio gratitudiniſne ob captatam vmbram,an inſanæ oſtentatiouis Monumentum poſuiſſe: quantò iuſtiùs Potociana Crvx Regum abundat fauoribus, quorum integritati Hoſpitalem toties vmbram præbuit. Meritò circa illam Ducales Mitræ, Senatoriæ Curules, Imperatoriæ Clauæ, Regali fulgent appenſæ dexterâ, quam inuiolata Fides Æternùm Polonis Regibus Sacrã eſſe voluit. Tantò Regum ipſorum adcomptam paratu Potociam Crvcem, nefas puto abſque munere prætergre-

tergredi; Votiuum igitur appendo Carmen, & cui Sarmatica Aquila in ornamentum totas Regales pennas, ego leuem dico calamum.

QVò Concitatas Terribilis Rotas
Vrges Erynnis? Sanguinis ebrios
Truci flagello agens iugales,
In Lechicos furiosa campos.
Informe circum, tabifici ruit
Agmen Doloris, seque patentibus
Infundit aruis; hinc Egestas
Exiguis male tecta pannis;
Illinc adeso lurida corpore
Fames, & vdas dilacerans genas
Luctus, luesquè, & ferali
Dira venit Libitina passu.
Pro quanta Lechis imminet Vrbibus
phâlanx malorum! quam rabidos minax
Distringit vngues? vt cruentâ
Dilaniet populos rapinâ.
Sed ô Perenni siccine vulneri
Semper patebit Lechia? sic fibris
Vix dum renatis, ordietur
Vultureos saturare rictus,
Interminatæ promotheo Comes
Adiuncta pœnæ? sistite lugubres
Planctus poloni; nec feralis
Sarmatico natet ore luctus.
CRVX bellicosis POTOCIÆ Domus
Quæ fulget Armis, quadrifido sinu,
Dies beatos, & cupitâ
Sæclâ fluit pretiosa pace.
Spectatis? an me ludit amabilis
Imago signi? de Cruce fertiles
Laurosquè, pacatæquè baccas
Cerno oleæ, per aprica tendi
Latè reductæ brachia Lechiæ;
Et asperatas tristitiâ genas,
Vndante perfundi sereno,
Atquè hilari renidere cultu.

Stupet retusis attonita artibus,
Tepere sparsas per populos faces
Enyo; nec squalente vultu
Ire dies, nec auara circum
Frendere totis arma Trionibus:
Atquè ipsa sese lentior, anxias
Castigat iras; colla præter
Iam placidi fluitant colubri;
Et qui calenti ludere sanguine
Suêrant iugales, immemores trucis
Tabi, fatigant nunc amœna
Innocuos super aruá dentes.
Quâcunquè fausto voluitur essedo,
POTOCIANI Gloria nominis,
Ignaua mæroris caterua,
Ante sacrum trepidante gressu
Iubar vacillat: nocte satas retro
Orci sorores, exigit aspero
Timor flagello, dequè toto
Præcipitat mala cuncta regno.
Campi feroci quos Suetica vngula
Moschusq́ nuper impulerat pede,
Metu soluti, restitutam
POTOCIIS referunt salutem:
Et siue fessum pastor agit pecus,
Seu feriatos vomere suscitat
Arator Agros; Vindicem omnes
POTOCIUM resonant per agros
Risêre colles, & iuga pendulis
Hirsuta ramis, vertice cernuo-
-Assensêre: tum VIVAT supinæ
POTOCIVS crepuêre valles.
Respondit Echo VIVAT, & assonus
Applausit Æther, VIVAT in omnibus
Campisq́ Syluisq́ ac per imas
POTOCIVS fremuit nouales.

Hacte-

Hactenus Felicitatis Nostræ Vestigia secundo visu relegimus, dum conflictanti tot periculis Patriæ, in fortunato POTOCIANÆ CRVCIS Septangulo, salutarem Criticum monstrauimus: promouet in vlterius Spes Nostras propitius æther, ac æstuantes desiderijs animos, Felicibus LVBOMIRSCIANI SRZENIAVÆ Vndis irrorat. Morari aliquod Vota Nostra Fatum, aut multus in rebus humanis casus poterat, ac eam, quam sibi Augur Amor in POTOCIANIS designauit Insignibus prosperitatem, lento alicubi distinere hospitio; en iam fundente Cælo pronissimum ad Nos labitur FLVMEN, quod nauigaturam in illâ Salutari CRVCIS tabulâ Felicitatem, defluo importans alueo, Lechicis sistat exponatuè littoribus. Implete vtrasque tanti Amnis ripas, merito plausu Sarmatæ; totis circum Campis, festiua insonent celeusmata; Optatissimus POTOCIANÆ CRVCIS & LVBOMIRSCIANI FLVMINIS nexus, non fictos vobis, ac truci immersos Draconi ex Epidauro Æsculapios, non vana Matris Deorum signa, sed cupitam vehit Salutem; quam castior hodie Sulpitia, non maritali Cingulo, sed pronubo trahit annulo. Fluitantem in sui Nili fertilitate Ægyptum, adeò profunda olim cæli merserat obliuio, vt vnius fiduciâ fluminis, nemo aratorum cælum respicere curauerit; quasi idem ille Nilus, & campis fœcunditatem, & Colonis obliuiosam propinaret Lethen: Nos qui ad ripam Fortunati SRZENIAVÆ excubantes, exigua capiendæ Felicitati tendimus retia, ita placidissimis eius detinemur Vndis, vt ex ipso defluentis tractu, æthereos ortus, qui tam beneuolum arenti Patriæ fundunt Flumen agnoscamus. Occuluit aliquorum amnium natales, prouida natura, ne leuissima hominum superstitio, quæ minores etiam consecrauerat riuos, turpiori religione ingentibus fluuijs illuderet: Nobis Felicissimi SRZENIAVÆ Origo in propatulo est, quam non occultæ venarum scatebræ, non furtiuis accessibus crescentes sub terrâ riui, aut regurgitans per montium abdita Scaturigo, sed patentissimus Cælorum, bono publico, fundit Sinus. In illis amici ætheris vlnis nata, in illis meliori rore concreuit tam nobilis Vnda, quæ meritò Eridanos aut Nilos per sola mendacia polis insertos, malè occupatis exigat Sedibus. Et verò probat Superæ Originis eminentiam Fluuius hic, ipsâ bonorum copiâ; primordiaque sua non temere à cælis peti, tantâ quantâ vniuersæ Sarmatiæ regnum alluit, meritorum deducit eluuie. Natiuo enim actus Cælorum ritu, quemadmodum illi ad mundi inferioris tutamen semper attenti, ac pænè tot oculis quot astris vigilantes, aptandis terrarum commodis, opportunos quotidie ordinant influxus: ita limpidissimus

hic Amnis, prouidis Sarmatiam percurrens flexibus, continuos ei Virtutis & Opis LVBOMIRSCIANÆ voluit defluxus. Efferant aliarum natalitia domorum, coturnatis relationibus doctorum calami, Famæque illis Opulentiam grandis loquentium dos pariat, vt per adiutricem facundiam excrescat, rerum sæpè egena laudatio; Fortunatus SRZENIAVÆ Ortus, ipso se beneficiorum tractu explicat; & phalerati sermonis recusat pigmenta, cui inexhausto fluens tramite Virtus, assidua meritorum præstat augmenta. Exeste Oratorijs fucatæ auxesibus panegyres; Amnis hic, pluribus quàm Pelusiacus Nilus Patriam inundans ostijs, non rhethoricâ hyperbole, sed Virtute Famam exaggerat; nec à blandiente calamo, paucas atratæ sepiæ deposcit guttas, cui totos illimi incorruptoque tractu Virtus, Fortuna, Honor, plenissimè fundunt latices. Fastuosa, nimiumq; sibi indulgens quarundam Gentium iactantia, vt comptiorem abūdantiæ suæ ederet scenam, personatos etiam sub ficto auro Fluuios Orbis induxit conspectibus; ita Ganges & Pactolus, ita Tagus & Hermus, nescio fabulis an aureis Sabulis clariores, creditâ thesaurorum nouitate, diu Orbis admirationem possederunt. Sed facessant iam innatantes mendacijs diuitiæ, erutumque non tam de fluuio, quam de arroganti cerebro aurum: LVBOMIRSCIANVS SRZENIAVA, veris aurearum Virtutum tumens auctibus, aurea non solùm dona, verum sæcula pleno Sarmatis importat vortice: mirandoque illi Indorum fonti concolor, Ferrum simul & Aurum, hoc ornandæ illud tutandæ Patriæ, pulchro defert profluuio. Verum hic repente stitit in ipso littore, LVBOMIRSCIANÆ Gloriæ intercepta voraginibus Oratio; vetat progredi illam, licet primis vixdum SRZENIAVÆ tinctam elogijs, imperuia laudum amplitudo; Quæ etenim Eloquentiæ fluenta, adæquare sperent tantum Flumen? ac eò arentem vocalis Encomij deducere riuum, quo Gloria LVBOMIRSCIANA plenis restagnat vorticibus? Eliquet totas Diua Themys ingeniosi calami Venas; Parnassus fœcundiore Castalidum intumescat fonte; Adhuc omnis hæc eruditorum torrentium copia, infra plenissimum SRZENIAVÆ dehiscet alueum, nec vlla doctæ pennæ eluuies, vel prima Maximi Fluminis attinget capita: In Icarios (me iudice) patet casus, qui præsumptuosos emetiendo LVBOMIRSCIANO Amni inferre parat calamos; Securos nimiùm Volatus, noxia excipient præcipitia; & audaciam retexere conantem altissimos tanti Fluminis à primo ortu decursus, ceræ pennæque remiges destituent. Non committam ego ventosis hisce ausibus leuem calamum, nec in Sacra LVBOMIRSCIANÆ Domus irrumpens adyta,

Inclytos

Inclytos Maiores temerario violabo eloquio, quos veneranda Vetustas religioso sepsit silentio: Habeant debitam ex ipsâ taciturnitate reuerentiam; & in censu officiosæ mentis, tacitos numerent cultus, qui extra omnes sermonis prouecti metas, florentissimæ eloquentiæ superant ornatus. Ægyptia quondam gratitudo, postquam pretiosam Apis Regis memoriam insigni dedicauit monumento, excubantem pro vestibulo Mausolæi, Harpocratis apposuit Statuam, appresso ori digito silentia edicentem; seu vetaret profano sermone, regalium taminari Maiestatem gestorum; seu nefas crederet laudes illius sub imparibus hominum vacillare linguis, quem collata Ægypto beneficia Dijs immortalibus miscuerunt. Pares ex abdito intendi metus, suumque pro Lvbomirscianæ Familiæ Propylæis stare sentio Harpocratem, qui disertam castigans audaciam, adduci habenas imperet eloquentiæ, infra meritum loquendorum hæsuræ; nimirum, Magnis Mentibus, minora quam pro dignitatis exigentiâ laudum tentamina, Crimina sunt; & detractum gloriosæ gestorum pompæ creditur, quidquid non adæquâs Gloriæ molem, properanter depromitur. Atque hinc est, quod Sacro perculsus horrore, noluerim vocare ad calamum Illustrissimos LVBOMIRSCIANÆ Domus Maiores; & suâ Virtute in perennem sæculorum transscriptos capacitatem, ad exiguas obstrepentis chartæ detrahere angustias: Videri enim posset, coacta in ordinem tantorum Heroum emerita grauitas, si per singula censa capita, leuissimum balbutientis Oratoris subiret lustrum. Satis profectò illis accedit ad laudum cumulum, mensuram excessisse laudantium; & sæculorum infixos memoriæ, amplitudine suâ omnem infantis eloquentiæ transscendisse amplificationem. Vnum duntaxat illum calente adhuc fauillâ, per ora hominum volitantem STANISLAVM LVBOMIRSKI, Palatinum Cracouiensem, Tuum Illustrissima SPONSA Avvm, sine insigni piaculo prætergredi non potui; Quem Amor Lechiæ, & terror Otthomanicæ potentiæ eò prouexerunt, vt etiam Liuorem ipsum auditi Nominis reuerentia, si non ad plausus, ad tristes certè deuocet singultus. Viuit hodieque Sepulchralem non sentiens iniuriam, tantus ille Bellator; & fato suo maior, mirabundo Orbi stuporem, memori Barbariæ pauorem, adhuc effulgurat. Vritur hucusque ipsis eius Cineribus Othomanicæ lunæ fastus, Cuius Virtute totum Osmani robur, Orbis viribus subnixum, in Cinere & Fauillâ desedit. Hunc tantum Heroem, à primis statim cunis Bellona suo pulueri addixit, & Laconum ritu, ad aspera præliorum, militaribus Gentilitij Fluminis

duratum Vndis, per omnes illius ſæculi circumduxit arenas; donec ad eos formaret auſus, qui in Maximo ad Chocimum Circo, ſub totius Orbis ſpectaculo, Maximum totius Orbis Hoſtem conficerent. Vixdum prætextam egreſſus Sagum induerat, tanto Gloriæ æſtu, tanto Victoriarum ferebatur curſu, omni periculo obuius, omni Martis choro præſultor; vt iam tum pateret, tenerum illum Herculem, in elidendis minorum anguium præludere ceruicibus, cuius manibus Summæ Hydræ exitus dedebatur. Nec errauêre Hominum Vota; per militares enim plauſus, & Hoſtiles fremitus exercita Virtus, ad illud demum faſtigium emicuit, cui etiam tumidiſſima Luna attrita cornua ſubmiſit. Nouum vt ſcires habere te Saluatorem IOSEPHVM Patria, illum quoque Othomanica Luna non tamen ſomniantem, ſed noctes dieſque pro Communi ſalute Vigilem, adorauit. Pridem iam auara hæc Phæbe arcuatum tendit ſinum, vt Campeſtris acceſſione Sarmatiæ, faciliùs deinde Totum compleat Orbem; Sed enim non alit Somnolentos POLONIA Endymiones, qui Lunæ amoribus deſeruirent: In Triuijs Hecate, iſta, Triformis vtique mundi Domina colatur licet; Equitibus Polonis, vti olim Romanæ Nobilitati, Luna ad pedes hæret. Hæſit ſpectante Sole, ſuperba hæc Turcarum Cynthia ad pedes STANISLAI LVBOMIRSKI fatalis belli aduoluta caſibus, cum ad Chocimum raptis inconſultè ferociens armis, vltra ſexaginta millia armatorum LVBOMIRSCIANæ Gloriæ immolauit: tum demum Taurica hæc Dea, pridem aduenarum Sanguinem ſitiens, ſuorum ſanguine Paci Polonæ litauit. Libet hîc longioris moræ carpere ſolatia, & Chocimenſes illos Campos, cladibus Turcicis, ac LVBOMIRSCIANIS laudibus inſignes, lentiore oberrando viſu, Noſtri quondam Periculi, Auxilijque imagines, Terroris & Opis veſtigia pleniùs vſurpare. Poſt cæſum in Cecorâ Poloni exercitus Ducem, palantes legiones, ſparſum toto Regno per immiſſos Scytharum manipulos terrorem, opportuni Othomanicæ ambitioni viſi ſumus, in quos maiore incurrens impetu, inſatiabilem orexim diſtringeret, & liberos domeſticique tantùm patientes Vomeris Polonorum campos, ad Seruilia iuga vocaret. Coguntur toti potentiæ Turcicæ nerui, conflantur exercitus, armatur Orbis, & tantis agminibus ſuccincta barbara cupiditas, nobilem prædam Spe ac Voto partitur. Tot periculis oberrantibus, vnus tùm omnium voto ſignabatur æui ſui Achilles STANISLAVS LVBOMIRSKI, in quem ardui belli moles inclinaret; Vnus conſonâ populorum voce poſcebatur Victorioſus SRZENIAVA, qui totas mundi vires trahen-

trahentem Osmanum, procul à nocendi metu, ad vltimas Sarmatiæ ripas moraretur. Procurrit nouus Leonides LVBOMIRSCIVS ad nouas Chocimi Thermopylas, vt immensas Thracij Xerxis Copias, paruo distinendo milite, tumentem numero barbarum, per clades doceret, apud Sarmatas, non computari Viros sed æstimari; nec molem cuiusquam Exercitus formidini esse, sed Virtutem. Accessit & illud ad LVBOMIRSCIANÆ Gloriæ coronidem, quod Serenissimus VLADISLAVS Princeps, additus difficilis belli Comes, Virtutis eius auxit pondus; Quantùm enim Fortitudini STANISLAI fideret Patria, satis carissimo illo pignore monstratum voluit, cum totam pubescentis Maiestatis fortunam, inter tantos armorum fluctus, Vni SRZENIAVÆ commisit; Optimè cautum Regali æstimans deposito, quod LVBOMIRSCIANO Flumine, sub Virtute remige veheretur. Ac primis quidem tremendi belli tentaminibus, partitas cum CHOTKIEVICIO Lituanicarum agminum Duce Curas, Heros LVBOMIRSCIVS sustinuit; sed illo humanis exempto, tota belli fax ad SRZENIAVIAS Aquas hæsit; ebriusque ille fortunâ suâ Osmanus, qui Xerxeos fermè exercitus trahens, Maria compedibus frenare, Montes in planum deducere, Fluuios desiccare poterat, Vnius huius obiectu Fluminis, in rapidissimo Votorum cursu, à Campestribus Sarmatiæ retractus est. O quantos ille mouit ausus, firmauit conatus, immisit exercitus! Vt æmulo Cyri tentamine, quemadmodum ille Gnidem, sic Barbarus SRZENIAVAM distrahere, & vadum traijciendis in viscera Regni Copijs facere posset; Sed totâ vi in irritum recidente, cum non iam è Iugalibus vnum vt Gnides, sed totas Equitum sorberet cateruas Victoriosus hic Amnis, & nocturnâ insuper eluuie Thracijs castris inundaret, perosus fatale bellum hostis tanto redemptum sanguine, cedere potiùs quam reliquo exercitu excidere maluit. Si non omnia nouitatis studium fabulis miscuit, & aliquam inuenit fidem mirandus ille lacus qui vnum vix adæquans Scutum, Stagyrita teste, ad motum ingressi, omnia laxat latera, capacioreque semper quò altiùs progrederis latitudine hiat; Crediderim in LVBOMIRSCIANVM Amnem vim suam transfudisse: nam & hunc, cum exiguis castrorum circumscriberetur limitibus, semper tamen barbari, quò maiori petiêre nisu, eò longiora tranandi restare spatia, refugumque littus, & Campos Polonos procul subduci senserunt. Eat nunc Othomanica Luna, & vel Poëtis indicibus, toto se proluat Oceano, ac omnibus (vt potè ministra humoris) innatet fontibus; SRZENIAVIVS Amnis barbaræ Phæbes ignorat consortia; & si quando hoc Fluuio tingi appetijt, in Sangui-

F nei nim-

nei nimbi prænuntium pallorem commigrauit. Non solâ dehinc terrarum vmbrâ Lunam infici, nec ab illo duntaxat interiecti globi obice vim eius per deliquia collabi, periti Astrorum vulgatè Censores; etiam sub Vndarum laborare aspergine, defectisque viribus concidere Othomanicam Lunam vidimus; cum vires ac Splendorem illius, qui à vitreæ latiùs radiare sueuit repercussu lymphæ, consumi ad LVBOMIRSCIANVM Amnem sensimus. Toties barbara hæc Phœbe & furore suo, & adscito Sulphurei Martis candens igne, in castra Polona tantis detonuit fulminibus, vt ardentes Cyclopum caminos, totumque adeò cum suâ Æthna Vulcanum, rapi ad incendia nostra crederes; & tamen tanto quæsitus apparatu terror, omnesque illi morienti Patriæ destinati rogi, Vnius LVBOMIRSCIANI Fluminis vorticibus, non restincti modo, sed hausti absorptiq; sunt. Conclamatum de vitâ saluteque tuâ (si mens non læua fuisset) iam tum conijcere poteras Osmane, cum LVBOMIRSCIANO Flumine tardante, Flammiuomâ Gradiui artę non procedente, per Virtutem STANISLAI Aquâ & igni senseras tibi interdictum. Vix credidit attonitus nostro suoque periculo Orbis, fieri potuisse, quod postea factum publico excepit tripudio; Osmanum nimirum illum toto Orbe coactos, totique etiam vincendo Orbi pares circumagentem exercitus, à paruâ Lechiadum manu, non submotum modo, sed turpibus accisum cladibus, laceras vires Thraciæ suæ intulisse: Verum effecit dexteritas, Ingensque LVBOMIRSCII Ducis Animus, vt paucitatem nostrorum Virtus pensaret; cum singulos è Suis voce manuque animando, ne singuli viderentur, in Centimanos Gyges ac Briareos pulchra fortitudinis arte, transformaret. Quis verò iam edisserat, quantis post retusum confusumque Othomanum Triumphalis hic Amnis, per Gentes & Populos ijt laudibus! Quãtis vtraque eius ripa ad gratantes aras, colluxit ignibus? cum nõ modo publica Regni studia ad texendas Victori SRZENIAVÆ conspirant Coronas, verum ipse Regalis Iuncus seruati memor pignoris, è Coronato vimine nobilissimam fert Ciuicam. Concurrit vndique suspensa omnium Statuum hilaritas, videre se ambigens quæ videbat; & in felici prouoluta littore, hinc plenis Victoriosum Amnem delibat gaudijs, illinc fluitantes per altum, Othomanici naufragij reliquias, nantes in gurgite vasto Thracum Maximos, spectans, securis sua quondam terriculamenta incessit diris. Ita pleno Gloriæ, Honorum, Opimæque Prædæ illatus Alueo LVBOMIRSCIANVS Amnis, gratissimo Patriæ influxit gremio; Sarmaticamque deinde integritatem, quam in suo STANISLAO tantâ Vir-

tute pe-

tute pepererat, in eodem iam tum Purpuratorum Principe, ad extremum vitæ labilis decursum sustentauit. Tota abhinc publicæ salutis moles, Vnius illius humeris incubuit; Idemque Flumen quod periculosissimi belli faces restrinxit, pacis negotia ambitu suo complexum est. dedignante Patriâ pacatas suas Oleas, alijs ali Vndis, quam quæ Victoriarum fertiles, difficillimas etiam nutrirent lauros. Saturum demùm Vitæ & Gloriæ STANISLAVM perenniori Vitæ Gloriæque Virtus intulit, & niueum illum Ætate, ac illibato Candore Animum, in niueas & Heroibus pridem destinatas Lactentis Circuli Sedes, transuexit: Satis Orbi ad plausum, Ecclesiæ ad ornamentum, Sibi ad meritum, non tamen Patriæ, & Bonis Omnibus satis ad Votum Viuentem. Cuius properis perculsa Fatis Sarmatia, longioribus indulgeret gemitibus; nisi resplendens in Filiorum flore, Tanti Patris Virtus, Ternis illis doloris fomentis, dolorem leniret. Demulcet iam serenâ lætitiâ, tumentes nuper luctu oculos; cum auocatis à tumulo ad Filios oculis, Rediuiuum in Prole Parentem, & superstitem in tantis Ingenijs, Magnum illum STANISLAI Genium admiratur. Sanè Vnus ille quondam durante Vita Lechicæ Prudentiæ Trismegistus, post fata hodie Tergeminum agit Gerionem; cum terno Natorum Patriæ dato pignore, Omnes felicissimo nexu, ac vno veluti spiritu, ad salutem eiusdem animat. Pulcherrimè hîc è totius Regni Voto & gustu Virtus innocuas Medeæ partes sustinuit; cum grauem illum annis & actis Æsonem, in Filiorum iuuentute refinxit, & non herbis sed gestis, in ternâ Prole, Viuum virentemque fecit. Mutatum non ablatum Patrem credimus, quoties tanta Pignora, plenosque Patre Spiritus, gratulabundi cernimus. Verum dabitis credo veniam Magna Magnorum ALEXANDRI CONSTANTINIq; Nomina, si laudes Vestras illibato prætergressa pede, illuc quô totus Nuptialis Pompæ, & communis lætitiæ rapit impetus, festinet Oratio; ac in auspicatissimâ Illustrissimi GEORGII Supremi Regni MARSCHALCI & Exercituum CAMPIDVCIS Domo hospitam figens Stationem, liberius & ipsa sub tantæ apparatu Hilaritatis Genio suo indulgeat. Ad magnos illa quidem ausus accingitur, dum festiuis interueniens Hymæneis, rudem suadam in Augusta Tanti Herois Tecta inferre molitur; Sed quoniam Muta gaudia Simulacrum habent mæroris, maluit à lætâ loquacitate, præsumptionis notam, quam ab inurbano silentio, tristitiæ effigiem mutuari. Venient aliorum eruditi calami, & ingentes Illustrissimi MARSCHALCI laudes grandiore ingressi coturno, de rapidissimo SRZENIAVÆ Torrente hausta Eloquia, pleniore per Gentes & Ætates fundent Eloquen-

quentiâ: Verum & Noſtra tenuis canna LVBOMIRSCIANÆ adſtrepens Gloriæ, Ariſtarchi ſupercilia non metuit, quam ſuis adcreſcentem ripis Vberrimus SRZENIAVA, fœcundo Munificentiæ tractu alit & alluit. ALEXANDRO olim in Libethris immolante Cupreſſinum Orphei ſimulacrum, ſubitò erumpentibus guttis immaduit, & vnius Regis repentinus aſpectus, muto illi ſigno, neſcio lacrymaſnè an ſudorem expreſſit; Attonitis prodigio cunctis, euentum Ariſtander ad Gloriam Magni traxit, tantis inualiturum prænuntians Geſtis, quanta vel diſertiſſimis Orpheis ſudorem prolicerent, & per omnes deinde Ætates, Doctorum pennas in ſui præconium eliquarent. Fatiſcant (vt libet) ſub Macedonicæ laudis pondere laſſatæ, inanimæ Statuæ; ſub Illuſtriſſimi MARSCHALCI Encomijs, & olim ſudabunt, & nūc Viuacia Vatum ſudant Ingenia, æſtuant pennæ, laborat facundia; & tamen facultatem ſuperat laudum, Copia laudandorum; pluraque ſemper reſtant, quò plura hauriuntur ex vberrimo SRZENIAVA Gloriæ volumina. Et profectò quis Herois huius facta verbis æquet? aut illorum amplitudinem Meritorum vocalis facundiæ numeris illiget, quæ modum numerumque vincunt? Eminuit ingentibus populorum ſtudijs Illuſtriſſimus STANISLAVS LVBOMIRSKI, ſed Felicitas eius aucta in Filio, dum præteruecta eſt; gaudet PHILIPPVS ille Maiore ALEXANDRO, ſuamque numerat Gloriam, quæ in tanto Nato refulget. Nolo in omnia Illuſtriſſimi Geſta, leui inuolare calamo, aut toto latiſſimi huius Fluminis vagari æquore: liceat ſaltem Aquilonarem legere Oram, & illas delibare gratulante pennâ guttas, quas male fæderatorum effuſus tinxit cruor. Capitales iam olim, cum Aquilâ Sarmaticâ intercesſerant Leoni Suetico iræ, quas tamen illa felicibus librata Alis, eouſque deſpexit, donec acciſæ domeſticâ rebellis Ruſſiæ auulſione pennæ, proniorem iniuriæ redderent, & Leoninos vngues ad opportunam prædam excitarent. Irrumpit ille Maioribus quàm putabatur Campis, priuſque illatis quam denuntiatis Armis, Terrore, Rapinâ, Dolo, implet ac miſcet omnia. Non tamen concolor Aquilæ ſuæ Polonorum Candor, vinci aliter niſi miniſtrâ fraude, potuit; Cui ſemper vel maximè Niuea animorum ſimplicitas patet: proinde vt in ſuum Colorem Chamæleon ille omnia traheret, Noſtrum etiam induit, ſatiandaque cædibus & ſpolijs Sarmatarum Arma, Sarmatis militare ſimulauit. Accedimus Creduli, neſcio quem faſcinum Borealem paſſi, Hoſtiumque Noſtrorum numerum augemus, Dum Noſtra Nos tueri putamus: & vix anteactis ſæculis audito errore, Noſtra vltro promouentes Fata, Patriam ignari proſtituimus, quam malè

faſſa-

fallacibus armis protegendam committimus. Facilè tunc fuit confusis simulatione rebus, Piscari in illo turbido; & Arcibus, Prouincijs, Vrbibus, vltro in sua vincula ruentibus, Transmarina implere retia. Parabatur & regno vltima tendicula, sed post illud fatale Reipub: Turbidum, ad limpidissimum SRZENIAVAM' Suetica Sagena hæsit; & Quantus sub illo personato habitu lateret Hostis, ad prouidentissimas LVBOMIRSCIANI Fluminis Aquas transparuit. Adhuc tamen mala sua agnoscentibus, Error quidem & Hostis in odio, sed Libertas tantùm in Voto: Fortalitijs enim omnibus, Armis, Bellicoque apparatu exutæ nobilitati, solus supererat amissæ Libertatis Amor, malòrum patientiâ, & turpissimæ illusionis conscientiâ magis ardescens: ad quam ocyùs Equestri Ordini recuperandam, Vnus tum Ordinis huius designabatur Antesignanus Illustrissimus MARSCHALCVS; nec vlla certior sarciendæ iacturæ spes apparuit, quam si felicissimus LVBOMIRSCIANVS Amnis, intercluso aditu, redituque, Spes, Vota, conatus Hostiles frustraretur. Quam verè Diuinabas Carole Gustaphe, Omnia iam patentis Sarmatiæ, ausibus tuis fore peruia, si prono hoc Amne ferrereris? Sed enim Asbamæam SRZENIAVA voluit Aquã, quæ vti fidem seruantibus dulcis & placida, ita eandem nauseantibus, aut callidâ pactorum interpretatione eludentibus, Ferox & infesta, vindicibus immemores Fæderum assultat, arroditque vorticibus. Alterius Fortunæ vehendæ Fluuius iste parabatur, & Lechicus Achelous meliorem spectabat Thesea, quem hospitalibus Vndis, totoque officiosæ Fidei acciperet gremio: Reduci enim ad Regna sua Serenissimo IOANNI CASIMIRO, quem tanti belli turbo extra abstulerat, LVBOMIRSCIANVS primùm occurrit Fluuius; ac in suam recepto LVBLOVIAM, eam demùm Consiliorum, Armorumque fudit copiam, quâ aspirantibus Superis, ad optatum Regni portum felicitèr SERENISSIMVS enauigauit. Tyberium refert Tranquillus, imperij adhuc ambiguum, speciosoque tum Legationis titulo Rhodis exulantem, vt Animum metu ac cupidine discerptum, Ominibus deliniret, adijsse Geryonis oraculum, ac sorte tractâ, talos aureos in Aponi fontem iecisse; Optimo sanè euentu: nam iacta alea summum numerum proferens, ad summum illi Romæ, Orbisque Imperium prolusit. Parem (securiore tamen ritu) diuinandi rationem inijt, magnis tunc conflictans discriminibus, Serenissimus IOANNES CASIMIRVS, Sortes suas non superstitioso Aponi fonti, sed fortunatissimo commisit SRZENIAVÆ; Et verò optimo Omine, vltimum enim quò Gloria & Maiestas Regalis prouehi possent, tandem iecit, absoluitque numerum. Iuuit felicem Martialis Aleæ iactum

Illustrissimus Marschalcvs, dum quò certius tali ac sortes caderent, Armatam fatali huic ludo manum applicuit; & illum tantæ Fortunæ Collusorem Carolum, decoctis omnibus Copijs, Famâ, Spolijs, propudiosè campo cedere coegit. Felix tamen prodigus ille Aleator, vel eo nomine censeri potest, quod amissis Omnibus quæ raptò coegerat, integram tamen Vitam & Salutem Tabulâ extulit; quâ ne demùm excideret, male parto Regno excedere maluit. Et sanè adeò in arctum deuenerat, Virtute & Fortunâ Lvbomirscianam manum, iactumuè sequentibus; vt intra geminum Amnem, Vistulam & Sanum, tertiò Felicissimo Srzeniava vtrumque intersecante conclusus, Vltimum nouus Ecclesiæ Pharao operiretur naufragium. Verum Amne illo semper Potentiæ Sueticæ formidando, aliorsum impetu vincendi distracto, facilè tum vadum, maiori reseruandus cladi reperit, cui Vnus Srzeniava imperuius semper fuit. Ne tamen insoluto exitus sui naulo, elusisse fatalem Fluuium putaretur, Salutem suam, cæde suorum mercatus, lectissimas quatuor millium Legiones ad Warkam Lvbomirsciano gladio annumerauit; nescio miserandus magis an culpandus, quod tanto militum, præcipuæque nobilitatis amisso flore, ignobili famæ superesse, & superbum caput, totis militarium capitum myriadibus, redimere sustinuerit. Nulla dehinc ruentis in præceps Sueci Visa clades, ad quam Lvbomirsciana Virtus, Comes immò prædux non accesserit; Ruere solutis repagulis cerneres placidissimum alias Flumen, ac totis Lechiæ infusum Campis, Omni Hostem regno exigere: acsi in fatis esset, vt nec ad Charontis cymbam cæsi, nec ad Natiuum Mare viui Sueci, sine Lvbomirsciani Srzeniavæ accessione peruenirent. Verùm Summa Illustrissimi Marschalci Virtus, ad obstinatissimum Hostem emicuit, cum Caput & Regni & belli Cracouiam, obsidione circumdans, etiam Muros à Lvbomirsciano Amne subrui ostendit. Tanta licet fuerit Valentissimi Hostis pertinacia, vt omni exactus campo, interclusâ erumpendi potestate, adempto commeatu, consumptâ annonâ, solâ Spe ac furijs suis pasceretur, iam tamen victas fortitudine Lvbomirscia tendebat, & dedisset manus, nisi insperatò superueniens Transsyluanus, properantem ad Lvbomirsciana tempora triumphalem laurum, (potiore mox pensaturus Lauro) in ipso cursu inhibuisset. Tum demum Victoria, propioris spe Victoriæ, non tam amissa quam omissa, Lvbomirsciano Fluuio locum dedit, vt Pannonijs quoque superfusus montibus, nouum Transsyluaniæ cataclysmum induceret; & perfidæ gentis scelus, immissis domans flammis, meritam Aquâ & Igni Transsyluaniæ Lu-

niæ Lu-

niæ Lustrationem perficeret. Neque hic rapidissimus LVBOMIRSCIANÆ Virtutis stitit Torrens; attritum licet montuosi itineris difficultate militem, in Sarmaticum deducens planum, toto pænè regno Transsyluanum, nunc præuius, nunc subsequens, eousque circumduxit, donec hisce viarum mæandris (planè flexuosum suum æmulatus SRZENIAVAM) ad illum propelleret Labyrinthum, ex quo nisi noua Ariadne, eiusdem Illustrissimi MARSCHALCI benignitas filum exitus præbuisset, rupto vitali stamine excedendum foret. Hæret hucusque suspensus tantæ nouitate Victoriæ Mundus, & conflatas è totâ Transsyluaniâ, Dacia, Moldauia, ac rebellium Cosacorum turmis Rakocij Copias, in suis requirens bustis miratur, eatenus duntaxat Sarmatiam irrupisse, vt turpius vincerentur; & clade suâ, Magnum LVBOMIRSCIANORVM Trophæorum fierent additamentum, hoc solo gloriosæ, quod in parte Gloriæ LVBOMIRSCIANÆ numerentur. Emittit liberè, nouo vincendi genere Victum, & suis castris Vinctum carceratumque Hostem Illustrissimus MARSCHALCVS; amissæque iam redditum vitæ, maiori insuper donat munere, cum ei sobriam mentem reddit; Fastu enim suo magis quam natiuo Baccho ebrium Pannonem, digestâ ad Salubres SRZENIAVÆ Aquas quâ tumuerat Superbiæ crapulâ, serò sapere docuit; vt sciret quam cito ruant Arma mole suâ, quæ perfidia impellit. Ingemuit ad funestum Socialis belli exitum Suecus, & sonitu cadentis perculsus Rakocij, iterumque totâ Prussiâ Vndantem cernens LVBOMIRSCIANVM Amnem, præoccupare fatorũ incerta, ac suo tutiùs Mari, quàm tanto Amne claudi prælegit: quid enim supremum cruentæ fortunæ operiretur naufragium? cum nouo Proclo Illustrissimo MARSCHALCO, Græcos iterùm ignes proferente, Aquas igni inardescere, & de SRZENIAVIANO Flumine, flammeas nubes superbæ Thorunio superferri; Refractariæ verò GRAVDENTI etiam debacchari, extremamque cladem impluere cerneret? Ita demum vrgente paçem, & Armis ad Marieburgum, & Consilijs ad Gedanum Illustrissimo MARSCHALCO, æternum inter affinia regna Fædus coaluit: quod tamen vt certiùs esset, ille, qui bellum ceperat, Carolus, vitâ terminauit. Quis verò hic edisserat, quanto plaudentium sono æther? quantis pro Salute LVBOMIRSCIA Votis, Aræ laborauerint? dum eodem SRZENIAVIO Flumine Administro, profuga Pax reueheretur, quo formidolosissimum bellum, in Exilium actum est: Omnium lætitiæ Illustrissimus MARSCHACVS intererat, Omnium vocibus inerrabat; & Fugatus Hostis, vindicata Libertas, Pax restituta, in donis LVBOMIRSCIANIS numerabantur; fatente Sarmatiâ, absque felicissimo SRZE-

mo SRZENIAVÆ traiectu, nullum adhuc nobis pacis commercium, cum Oceano futurum fuisse. Hæsurum hic in Mari, veluti communi Fluminum metâ, ac Maritimo Hoste, autumare quispiam poterat LVBOMIRSCIANVM Amnem; verùm ille flexuosum suâpte naturâ nactus alueum, Omni infundi Campo, Omni Hostili ripæ assilire auet. Procurrit statim à deuectis Sueticæ Pacis donis, nullâ ipse lentescens pace, ad extremos Moschorum Fines; & barbaris inundans Campis, tantas illas Szeremethi Copias, irâ, cupiditate, congenitâque ferociâ ardescentes ita restrinxit, vt non modò Martius, sed vitalis etiam natiui caloris feruor, fatali in eis gelu riguerit. Quantis tum Patria concussa terroribus? cum procurrens ad intima Regni, Lublinum, Varsauiamque Hostis, ferro & flammâ metum intenderet? & cunctis ad nictantes illos, per Poloniam ignes, magis metu ac torpore frigescentibus, fuga, Gemitus, funera Patriam implerent simul ac exhaurirent? Ruissentque in peius omnia; nisi Domitrix illa, flammarum ac ferri, LVBOMIRSCIANI Fluminis, Vis, tempestiuo procursu, Moschum Patriâ exactum, Vitâ etiam exegisset. Iactet suas fastu innutrita Antiquitas Victorias, & semper maiora veris venditare solita, Orbem Nostrum Veterum attonet serie Triumphorum: Censeat modio Annibal cæsum ad Cannas & Thrasymenum Romanæ Nobilitatis militiæque Florem; Cæsar Triumphali superbiâ vidisse se Parthos ac vicisse glorietur; Scipio interceptum Castris suis Syphacem, ac eâdem sepultos fossâ quâ bellauerant, Numidas ostentet: Omnium horum tumentem iactantiam diminuit, aspersa tantis Victorijs labes; & Annibalem locus ac ille iniquus Romanis lacus, Scipionem nox furtiuæ Victoriæ lenocinans, Cæsarem hostis (vel ipsius confessione) marcidus ac imbellis coercet, splendoremque trophæis demit. Ast LVBOMIRSCIANVS triumphus, de ingenti Szeremethi partus exercitu, nihil à loco aut consciâ nocte, hostiliuè socordiâ, totum à virtute & constantiâ mutuatur: Palam & Cælo Teste, in tam aduersâ Nobis locorum vligine, cum ignito hoste pugnatum est; nec dolus & tenebræ, aut tectus clandestinâ nocte Mauors, in societatem tantæ venêre Victoriæ. Mirabili tum pugnæ genere debellatum est, cùm Polonus Miles stipendiorum inopiâ moratus Victoriam, vt cunctantia tela acrius in hostium iugulum contorqueret, non modò ferro sed auro etiam SRZENIAVIO duraretur: Sparsis enim in Sarmaticas pariter Scythicasque legiones, è proprio thesauro missilibus Illustrissimus MARSCHALCVS, sic optimo commento Fortitudinem Liberalitate obarmauit, vt dum opportuna cunctanti Militi auget munera, densa insimul

simul

ſimul hoſtis Funera adaugeret. Ita tum geminam raro euentu adeptus Victoriam Illuſtriſſimus, cùm ſuos dono, Hoſtes damno ſubigit, Vnicâ eâque pulcherrimâ largitione, & Militem animauit, & Moſchum exanimem, per exhauſta cadaueribus caſtra reddidit. Inſonuit lætis Carminibus Patria, & LVBOMIRSCIANO Flumini, non modo Conterranei Amnes, in natiuis ripis, verum etiam Sacer Tyberis, Triumphales prætulit faces: quin & Terna illa Auſtriadum Flumina, Trino Regnorum tractu fluentia, illud ad pleniorem Supremæ Fortunæ decurſum ſpectare crediderunt, ſi Victorioſi Amnis commercio Maieſtatem ſuam incingerent, & in ſortem Romani translatum Imperij Principe Alueo ſuis terris infunderent. Quid vltimos Europæ memorem Gades? vbi Hercules Noſter Illuſtriſſimus MARSCHALCVS, ad illas veteris Alcydæ Columnas, vocaliſſimâ famâ increbuit, & Aureum Hiſpaniæ Tagum ditiore Nominis ſui Gloriâ captiuauit: Teſtatum id fecit Potentiſſimus Hiſpaniarum Monarcha PHILIPPVS; qui ſicut præſentem Patris virtutem, annulo olim ſubarrhauit, ita abſentis inuictam Fortitudinem inuicti Adamantis monili, in Hoſpite Filio conſignauit. Habes quo Gentium non modo oculos, ſed Amores etiam prouoces Sarmatia, quæ triumphalem hunc Amnem, plenis ab vtrâque Ripâ Lauris increſcentem, Orbi oſtentas. Non ſic certè fabuloſa illa Stygis Aqua, ſolicitæ Thetyos ope adhibita, bellicoſum Achillem, atque Feliciſſimus SRZENIAVA Regnum, cladi exitioque imperuium facit; Quâcunque ſui parte Patria LVBOMIRSCIANIS Aquis tingitur, dum conſilijs ſuſtentatur, meliùs quàm ille tandem à Paride ſublatus Achilles, contra Fata munitur, nullique ferro aut dolo domabilis exiſtit. Ringantur licet Æmulatio ac Liuor, indiuiſi Magnarum Mentium Circumpedes, Salutareſque has Aquas obliquo dedignati oculo, mortiferâ petant tabe; LVBOMIRSCIANVS Amnis, omnes inuidiæ prætereuctus metas, Herculeo ritu, cui quondam vel ipſa odio ſuo velificata eſt Iuno

Superat & creſcit malis. Iráq; cunctâ fruitur in laudes ſuas.

Nullus Maleuolorum obex intercipiet Fortunati huius Fluminis Curſum; qui totus in ſalutem Patriæ effuſus eouſque deſtinato virtutis voluetur tramite, donec perenni ſæculorum illatus Memoriæ, Æterno ſe totum Bonorum Omnium infundat fonti. Verùm iam tandem in beatâ huius Fluminis ripâ, cernua reſpiret Oratio, & ad conſitas circum Lauros, Votiuum appendat Carmen.

QVi modò lætis Lechicos pererrat
Flexibus campos, LVBOMIRSCIANVS
Amnis, illimes trahit è superno
Æthere Lymphas.
Nectar æternis Sociale mensis,
Diluit tanti latices Fluenti,
Inferens faustæ pretiosiorem
Ambrosiam Undæ.
Hinc per Apricos vbicunq; campos,
Ludit obliquis sinuosa ripis;
A superfuso melior virescit
Flumine Campus.
Ridet elatis adoperta tellus
Floribus, pando resupina collo
Lilia, & totum referens feraci
Syrmate pæstum:
Ac vbi tristi iuga pressa Marte,
Horridis nuper riguêre telis,
Roscido sparsas, Bona Pax SRZENIAVÂ
Plantat Oliuas.
Non Draconino sata dente Proles,
Fluctuat densis per agros sarissis;
Non sub armatis titubant grauata
Calcibus Arua.
Sed Ceris fuluis redimita culmis,
Turgidas plenâ segetes quiete
Explicat Campo; fluidisq; pacem
Enarrat aristis.
Quisquis Hostiles meditatus ausus,
Stridulas fumante faces Gradiuo
Spargere in Lechos parat, in SRZENIAVÎS
Mergitur Vndis:
Fluctuans vastas procul inter Vndas
Visitur Moschus; trepidum ac pauentem
Occupat fluctus, fuga nulla tanto
Eripit Amni.
Non inaccessi meritum tuentur
Pannonem Montes: super innat altis
Carpathi saxis, & auara inundat
Sanguine Regna.

Ille per

Ille per totum volitare pontum
Impiger, multo madidas cruore
Vix iubas effert Leo, quas paternâ
Siccet in vmbrâ.
O Triumphali decorate Lymphâ
Qui vehis prono Lecha Fata tergo,
Amnis! Hostilis Tibi nescit vlla-
-innare carina
Ambias longo patriam meatu
Lætus & Felix; Superisquè serus
Fontibus, multæ celebrata Famæ
Adde fluenta.
Quâ per arentes Lechiæ nouales,
Fertiles laudum sinuabis Vndas;
Spontè submittent Tibi cuncta gratam
Flumina Thetym.
Textaq; annoso Tibi serta musco
Cernua adspergent; veniet reclinis
Vandalus, lambens Tua blandiente
Gramina fluctu.
Ast Mare & Thracijs violentus Vndis
Attremet Pontus; Tanais SRZENIAVÂ
Territus Famâ, gemet inquieti
Murmure venti.
Cernis vt pallet refluo vacillans
Vortice? & lento tremulus meatu
Errat, ac mæstum caput in supinis
Occulit herbis.
Audijt TYBRIS Tanaim superbum,
Æmulâ Romæ riguisse Lymphâ,
Atq; septeno veneratur almum
Colle SRZENIAVAM
ALBIS applaudit, Socioq; lætus
Murmurat RHENO; LVBOMIRSCIANVM
Flumen, in totis pelagi, Amniumq;
Personat Vndis.

Ad Vos denique anhela Populorum respiciunt Vota, ô Felices æterni Amoris compediti, qui Publico Bono, dum victas Amori datis, Patriæ insimul Opitulatrices obligatis manus. Attollit illa fessum

 malis

malis caput, & nuptiali immiſta pompæ,nobilis hæc Conuiua, plenius hodie ſua haurit ſolatia; nec præſentis duntaxat vſu, ſed futuræ etiam Spe lætitiæ capta, Felicitatis è tanto Coniugio prouenturæ abſorbetur imagine. Iidem Annuli qui Corda Veſtra, Communia etiam totius Sarmatiæ ſubarrhant Vota; Eædem dextræ, quæ Coniugalem ad Aras paciſcuntur fidem, pro Salute Vniuerſi Regni, pulchrâ fideiuſſione ſtipulantur: Hinc erecta ad ſonum lætiſſimi hymænei Patria, liberius iam ſuis indulget Votis, & per futuri ludens Simulachra emolumenti, non dubias Fortunæ ſuæ Spes, in longiores iacit exporrigitque annos. Errant illi præ oculis amæno ſpectaculo Inclyti Bellatores, Victorioſi Duces, Prouidi Senatores, quos dum è tanto Ducalis Senatoriiq́ue Sanguinis nexu ſibi deſignat, in Feſtiuos plauſus, in effuſam rapitur Hilaritatem. Habet enimuero ampliſſimum hilaritatis campum, in quo laxatis fiduciæ, lætitiæq́; decurrat habenis; Quid enim in Vobis non omnigeno excipiendum plauſu? & ad Cæterarum Gentium inuidiam oſtentandum? Ætas primò pubeſcens Vere, in vberrimum nox meritorum deſitura Autumnum; Fortuna Summis in Regno par, Summis extra Regnum, libertatis rudibus ac inexpertis ſuſpiranda; Genus ipsâ Virtute obſtetricante editum; & quæ diuiſa beatos efficiunt, Vos ſoli collecta tenetis. Circumfert auidiſſimos per omnia Veſtra Decora oculos ſerenata iam Patria; & præcedentium ſeriem in Spem vocans futurorum, Inclytos Maiores dum recolit, ſuis merſa votis, ſecuturæ poſteritatis Virtutem, Spe ac conceptâ ſpecie præcerpit. Spectat hodie tot illos & Tantos Familiarum Veſtrarum Proceres, velut è ſuis excitos tumulis, & ad lætiſſima Solennia congreges, Pronubas Vobis non tam Faces præferre quàm Virtutes; & à Tantis quæ Vos primo initiandos Amori, circumfundunt Splendoribus ac Flammis, nouam & ipſa in ſeſe deriuandam præſtolatur lucem. Apollonium Thyanæum accepimus inſigne ab Hiarcha Indo, Brachmanum Principe accepiſſe donum, Septenos nimirum annulos, coactis in ſe cæli viribus nobiles, & tractam à Septeno Planetarum Orbe Virtutem, in proxima quæque transferentes; Huic muneri Magus ille ſeu Philoſophus Fortunam ſuam, miroſque effectus retulit, ac in illis ſuperſtitioſis annulis, captiuam quadantenus Superioris naturæ vim detineri, & tota vitæ ſuæ Fata, annulari reuoluione circumagi, vanè credidit. Implent (meliori tamen Omine) Nobis gemini Veſtri Coniugales Annuli, Septem Indicorum vicem & fidem, quos cum hodie non iam fictâ cælorum ſed verâ Maiorum Veſtrorum Virtute fœcundos aſpicimus, certiore deſigna-

designatione, fortunæ communis Solatia, ex aureorum horum, quam Thyanæus ex Cælicorum Orbium concursu combinamus: Quidquid enim per Politicorum Orbium Polos, vel in annoso Saturno Prudentiæ, vel in Arbitrio Deorum Ioue æquitatis, MarteFortitudinis, Mercurio Facundiæ, Venere Gratiarum, Sole ac Luna Splendorum, coruscat ac effulgurat, totum id in Maioribus Vestris repertum, ad ConiugalesVestros defluxitAnnulos, eosdemq; integrâ tantarum Virtutum transfusione ditauit. Iuuat aliquantum hærere, & Pronubos hos Annulos lentiore visu percurrere, in quibus certiore artificio Virtus, Maiorum Vestrorum, quam olim in mendaci Æneæ Clypeo, Vulcanus totam generis eius inclusit seriem. Refulgent in Tuo Illustrissime SPONSE Annulo præter Paterni Sanguinis splendorem, tracta ex Illustrissima Genitrice KALINOVIORVM Decora, multis maximarum Familiarum admistis fulgoribus coruscantia: Sagitta illa KALINOVIA geminis Stellis, ast multiplicibus insignis Trophæis, dum Tuas ambit manus, ita te bino illo sidere illustrat, vt simul sub felici Sagittario natum, ad summi honoris metam dirigat. Domesticum sed fortunatum nactus es Illustrissime Virtutis ac Fortitudinis Athæneum, in quo hinc POTOCIORVM inde KALINOVIORVM Genijs, velut Indigetibus Diuis animantibus, Generosos & Spiritus combibisti & ausus; meliusque ad Maiorum Tuorum gesta, quàm Themistocles ad Milciadis Trophæa ardescens, illos bellatricis adolescentiæ concepisti igniculos, qui deinde Martiæ illati palestræ, Patriæ lucem, Hostibus fatalem fauillam pepererunt. Sensit id nuper malo suo Trassyluania, cum Illustrissimi MARSCHALCI, fortunam secutus, illius Gloriæ per Hostilium Vrbium incendia adluceres; & dextram æternum LVBOMIRSCIANÆ DOMVI consecrandam, sub LVBOMIRSCIANIS oculis, in hostili sanguine abundè intingeres. Sensêre rebelles Cosacorum Turmæ, cum (præter frequentissimas Propitio semper Marte velitationes) ad Medirecium, viginti millibus cæsis aut fugatis, æternum Nomen in refractarijs perduellium Ceruicibus exarares. Quantus ille Tuus fuit tunc ausus! Quam inuicta animi Fortitudo! Cum vix duobus militum succinctus millibus, agmina illa mole, numero, impetu ruentia feliciter perrumperes, & instrato cadaueribus campo, palam faceres; etiam paruam manum satis ad victoriam esse, si magnâ animetur mente; nec numerum in bellis sed fortem humerum Lauros aucupari. Triarios omnes illos Victoriæ Tuæ Commilitones nuncuparem, nisi virtus in maiorem eos prouehens titulum, dum

 bis mil-

bis milleni, viginti millia sternunt, omnes fecisset Decumanos. Tantæ Gloriæ plenus, Tantis & Maiorum Tuorum, & Victoriosi Martis conspicuus fulgoribus, dum hodie ad Amoris venis Aras Illustrissime, ab his, qui te ambiunt splendoribus, certiùs quam à lambente Tullium Seruilium flammâ, ingens sibi Patria emolumentum, Tibi verò ornamentum appromittit. Adstat Illustrissima SPONSA, & (ne quid ad Votorum summam desit) hæc quoque noua Lauinia tam suis quam Gentilitijs ignibus circumfunditur: Ille faustissimus Annulus (quo velut aureo compede æternum vincit Amorem) non iam imbelli Musarum choro mixtum Apollinem, sed fortissimis tot Maiorum Heroibus Socium Martem pulchro Patriæ pandit spectaculo. Cernis hic paruo compendio, quos longo sæcula digessêre ordine Duces, Duces in Ostrog & Iaroslaw. Comites in Tarnow, BRANICIOS, LIGESIOS, Dij boni quanta Nomina, non modo Sarmatico sed Vniuerso Orbi Gestis & Famâ nota! Quorum Gloriam si per singula vellem Capita retexere, quid aliud quam Iliadem iterum, nucis putamini, Operosâ audaciâ includere tentarem? Vna Materna Illustrissimæ SPONSÆ LIGESIORVM DOMVS, tantis in Patriam meritis, tantis abundat splendoribus, quantorum Encomijs ille duntaxat sufficerit, qui non solùm laudandorum Copiam, sed laudum quoque Facundiam à LIGEZIIS desumpserit, Excitandus hic de tumulo foret ille Aurei Oris & Calami STANISLAVS LIGEZA, qui Tullianum æquè natiuo quam peregrino cultu assequutus dicendi florem, suauissimâ suadâ, domesticos exterosque populos detinuit. Suspirat hucusque iucundo LIGEZIANÆ memoriæ capta sensu Sarmatia, dum in exactas ætates visum proferens, Inclyta illa Pacis ac Belli Lumina grato percurrit intuitu: Adhuc suo admordet desiderio Patriæ pectus, Fortissimus ille LESCVS BOBRICIVS ad Varnam Exercitus Poloni Dux, qui dum VLADISLAI sequitur fasces, fatis eiusdem inuolutus succubuit, & Fidei Virtutique LIGEZIÆ immoriens, cadenti Maiestati, sanguine suo parentauit; Adhuc omnium prouocant Amores, illa Tiaræ Decora, IOANNES Plocensi, Felix Leopoliensi Mitris insignes, Ecclesiæ quondam pariter ac Patriæ Hostibus, solicitâ vigilantiâ metuendi. Næuè antiqua, (tametsi nullâ obliuione antiquanda) promam, plenis hodieque populorum fertur fauoribus HERMOLAVS Regni Thesaurarius, rarissimo euentu, & ærarium publicum intactis reditibus, & Familiam solâ Gloriæ accessione locopletans; Plenis Illustrissimæ SPONSÆ AVVS NICOLAVS ROGATIANVS Castel: Sendom: ob eximia in

I

mia in Patriam merita, Becensi, Ropcicensi, Zydacouiensi, Præfectura honoratus. Atque horum omnium Decora & Virtutes, dotalitio sibi consignatas Iure, ad Tuas hodie Illustrissime SPONSE transfert manus Illustrissima CHRISTINA, Comitissa in Wisnicz & Iaroslaw, LVBOMIRSKA; Dum inter tot Pronubas faces non ex apum, sed ex Insignium Prosapiarum Ceris laboratas, ad POTOCIANOS transit Lares; Splendida Maioribus, splendidior moribus, qui illam pulchro incinctam Virtutum Satellitio, Tuo Amori, Orbis Lechici addixêre stupori. Illud innoci Oris ebur; Illa Virginei pudoris purpura; Ille modesti visus, velut sub nube radians fulgor, totaque ad numeros Virtutis efficta, Corporis ac mentis habitudo, quidni Te Illustrissime SPONSE in perennem dilectionem, Orbem raperent in admirationem? Abscedant mēdacis Pandoræ commenta, & illa toto Deorum conatu adcompta Pulchritudo; Illustrissima SPONSA simulatos Pandoræ fastus, veris actibus euincit, dum pulcherrimos virtutum radios, non ab inanibus Deorum figmentis, sed ab Insignibus Maiorum sumit exemplis. Tibi verò hic Illustrissima DVCISSA in Nieswiesz & Olyka RADIVILIA, maxima tanti fulgoris Gratia, maxima debetur tantæ virtutis Portio, quæ distractam præcoci Fatorum iniuriâ, ab Amantissima Genitrice Illustrissimam SPONSAM, Maternâ complexa curâ, ad illud virtutis deduxisti fastigium, quod Illustrissimæ LVBOMIRSCIORVM Domui in solatium, Orbi trahetur in exemplum. Immigrauit illa in Mores Virtutesque Tuas, & quæ se Filiæ loco habitam sensit, etiam morum felicissimâ successione ex asse hæredem instituit. Satis latè fertur, per Omnes Sarmatici Orbis metas Illustrissimum NOMEN Tuum, in cuius ornamentis, Fortuna, Nobilitas Virtus, præcipuas consumpsêre curas; Satis Pietas, quam Tu semper inter præcipua Decora numerasti; Verùm erit istud ingens Gloriæ Tuæ additamentum, quod cum & à LVBOMIRSCIANO Ortu Magnum Flumen, & à Ducali RADIVILI Coniugio AQVILA sis magnarum Alarum, Vtrumque hoc curâ & affectu in Charissimam Alumnam transtuleris; quam & Gentilitij Fluuij ritu, pleno Virtutum ferri alueo, & Aquilæ more, in conniuo oculo Heroicis pasci splendoribus docuisti. Promulgant promulgabuntque olim eximiam Pietatem Tuam ipsa Templa, Aræ, Orphanotropia, Aurumque Deo non pressa manu Sacrum; quodsi (vt Humanis sua instant fata) casus aliquis vel Suprema necessitas hæc attriuerit; Habes non moriturum quod ipsa finxisti in Illustrissima SPONSA, ad perennem sæculorum iactantiam

tiam Pietatis Virtutiſque Tuæ Simulachrum. Procedit illa hodie Te, Virtuteſque Tuas, Maiorum Decora & Spem Patriæ ferens, dumque ad aras dextram æterno Amori illigat, Patriæ Spem, Familiæ Expectationem, Populorum lætitiam, Poſteritatis Gloriam, eâdem coniugalis nexus catena ſecum trahit. Perge iam Fortunatū Par, & generoſos in longas ætates proferens paſſus, meritis ac virtutibus Annos extende; Expectat arrecta Ominibus ſuis Patria, ex tam pulchro Ducalium clauarum fœdere, Hoſtium ſtragem; Expectat ex hoc Heroici Sanguinis nexu reddendam ſibi Heroum ſeriem. Reſtitues enimuero Illuſtriſſime SPONSE Fauentibus Superis Felicitatem in Opere, quam præfers in Nomine; Reſtitues Illuſtriſſima SPONSA Æuo Noſtro antiqua illa Virtutum miracula, & quidquid AVGVSTVS in Liuia, TRAIANVS in Plotina, CARES in ſua ſuſpexêre Arthemiſſia, iucundo compendio, Orbis in Te ipsâ proferes conſpectibus. Aſſurgent Vobis Noſtræ, applaudent futuræ ætates; & Felix POTOCKI ac CHRISTINA, Comitiſſa in Wiſnicz & Iaroſlaw, LVBOMIRSKA, certâ ambitione vouentium in menſuram olim trahentur Votorum. Ad Veſtrarum Virtutum normam exigent Actus ſuos poſteri, ad Veſtras pleno ore inſueſcent laudes, ſicque & præſentis æui Gloria, & ſecuturi elati memoria, Orbem inſignium Geſtorum attonabitis miraculo, donec ad Supremam æternitatis delati metam, POTOCIAM CRVCEM CRVCIS DOMINO, LVBOMIRSCIANVM AMNEM perenni Voluptatis Torrenti inferetis,

DIXI.

CRACOVIÆ,

In Officina Apud Hæredes STANISLAI LENCZEWSKI BERTVT:

Anno Domini, 1661.